TRAUGOTT GUILELMI GUSTAVI
BENEDICT

MED. ET CHIR. DOCTORIS MEDICI ET OPHTHALMIATRI APUD
CHEMNICENSES IN SAXONIA PRACTICI

DE MORBIS OCULI HUMANI INFLAMMATORIIS

LIBRI XXIII.

LIPSIAE
APUD CAROL. HENRIC. RECLAM.
cIↃIↃCCCXI.

Ex Libris

Tractatus de Medicina

Schimmeri

VIRIS
ILLUSTRISSIMIS
GENEROSISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS

ASSESSORIBUS

SOCIETATIS MEDICORUM PARISIENSIS

DE AEMULATIONE CONSTITUTAE CELEBERRIMIS
ET OPTIME MERITIS

HUNCCE LIBELLUM

OMNI, QUA PAR EST, VENERATIONE

D.

AUCTOR.

INDEX RERUM.

ERRATA:

Pagina 10,	§. 15,	linea 8	loco: gangrenam,	lege:	gangraenam.
— 16,	- 27,	- 1	- palbebris	-	palpebris.
— 18,	- 33,	- 5	- refecta	-	referta.
— 19,	- 34,	- 1	- conjunctione	-	conjunctivae,
— 21,	- 37,	- 9	- luminas	-	laminas,
— 22,	- 38,	- 3	- arumen	-	acumen.
— 26,	- 46,	- 13	- enatus	-	enatum.
— 31,	- 56,	- 10	- docui	-	docuit.
— 36,	- 64,	- 11	- conjunctae	-	conjunctas.
— 38,	- 69,	- 2	- quo	-	quod.
— 43,	- 78,	- 10	- colore	-	calore.
— 44,	- 79,	- 3	- fecretione	-	folutione.
— 46,	- 86,	- 2	- limbi	-	limbo.
— 47,	- 87,	- 9	- dies	-	horas.
— —	- —	- 10	- continuatur	-	continuatus.
— 49,	- 89,	- 1	- erunt	-	erant.
— 51,	- 95,	- 9	- darryoftagia	-	dacryoftagia.
— —	- 96,	- 13	- firmiam	-	firmam.
— 55,	- 102,	- 1	- incrementi	-	incremento.
— —	- 103,	- 7	- dacrycotalgia	-	dacryoftalgia.
— 75,	- 139,	- 10	- immitatur,	-	immittatur.
— 82,	- 152,	- 6	ommittatur vocabulum : non.		
— —	- —	- 9	loco: Davidiana,	lege:	Davieliana.
— 88,	- 165,	- 7	- inferta	-	infecta.
— 103,	- 196,	- —	- habitu	-	halitu.
— 116,	- 221,	- 5	- Calomelanum	-	Calomelanos.
— 120,	- 231,	- 6	- Beeri	-	Beerii.
— 144,	- 283,	- 13	- nadiorum	-	radiorum.
— 163,	- 320,	- 3	- durit	-	ducit.
— 17,	- 343,	- 2	- inititur	-	nititur.
— 180,	- 357,	- 4	- formet	-	format.
— 181,	- 361,	- 6	- oculi	-	oculo.
— 220,	- 452,	- 6	- ipfas	-	ipfos.
— 225,	- 460,	- 2	- minus	-	nimis,

Pag. 226,	§ 465,	lin 3	loco:	usu ipsorum,	lege: horum usu.
— 228,	- 469,	- 11	-	Hegerum	- Heyerum.
— 233,	- 478,	- 6	-	non	- me.
— 236,	- 487,	- 9	-	ratione	- notione
— 238,	- 491,	- 9	-	admixtum	- admixtus.
— 247,	- 515,	- 7	-	secum	- serum.
— 256,	- 540,	- 5	-	oxydum	- oxydo.
— 268,	- 568,	- 3	-	vasu	- vasa.
— 269,	- 573,	- 17	-	habetat	- hebetat.
— 272,	- 580,	- 14	-	senio	- serio.
— 277,	- 594,	- 8	-	poterit purum	- poterit exhiberi purum.
— 280,	- 602,	- 3	-	luis venereae	- luis venereae curam.
— 281,	- 606,	- 6	-	quin	- quae.

LECTORIBUS BENEVOLIS

S.

AUCTOR.

Plurimi ſcriptores in libello edendo occupati praefationum ope eo utuntur conſilio, ut lectoris animum atque notionem de ipſorum ſcripto conceptam praeoccupent, variaque ſimul addant, quae ſcitu neceſſaria videbantur, et quae, quantum fieri poteſt, judicii de peracto labore ferendi dirigant gravitatem. Quamvis igitur medicus doctior atque artis, quam exercet, imperfectae non ignarus praeſentis libelli uſum bene intelligat, ideoque in ipſius fronte prologus magna ex parte inutilis eſſe videatur, plura tamen reſtant argumenta, quae mihi non tam perſuadent, quam potius me impellunt, ut ſine praefatione hoc meum opus lectoris manibus tradere non ſuſtineam.

Quando non ſolum tralatitii noſtrae aetatis medici, ſed eorum etiam plurimi, qui longo artis eminent uſu et doctri-

na oculi inflammati curam ſuſcipiunt, omnia iſta ipſos premunt curae felicioris impedimenta; quae in quolibet adeſſe ſolent morbo, cujus diagnoſeos principia nondum certa ſunt et diuturno artis uſu confirmata. Oculum adſpicientes rubentem, et cum inſigni dolore alia ſimul morbi ſigna prodentem oculi quidem inflammationem adeſſe omnes iudicant, ſed quaenam iſta ſit, praeſertim ſi ad ſympathicas pertinuerit ophthalmias, plurimi neſciunt. Ad anamneſin quidem confugientes et reſpectu ſimul ad corporis totius habitum facto, interdum felici conjectura veram detegunt mali cauſam, et aptam ophthalmiae ſcrophuloſae, catarrhalis, arthriticae diagnoſin conſtituunt, verum in totidem aliis et multo pluribus morbi caſibus error in mali ſubrepit cognitione, qui et curam minus opportunam, et inde exitum ipſius magis minusve infauſtum adducere valebit.

Quod ophthalmiatros attinet celeberrimos et in hac de oculi inflammationibus doctrina verſatos — de iis eadem etiam adfirmare licebit, quae paullo ante de reliquis medicis in hacce artis ſalutaris parte verſatis attulimus. Unus vel alter remedio in uno ophthalmiae genere ſalutari detecto, idem ad amovendas etiam reliquas omnes oculi inflammationes de meliori nota commendare non dubitabat, quia et diagnoſis ipſi deerat, et illius ignoratione ſimul via ipſi occluſa videbatur, qua in multiplici mali iſtius forma diverſa etiam curationis egemus methodo. Si vel Richterum, quem honoris cauſa nomino, exceperis, qui primus uberiorem ophthalmiarum deſcriptionem edidit, — in ejus libello ta-

men ea magnopere desiderantur, quae ad firmam et strictam mali diagnosin pertinuerunt. Multa certe profert memoratu digna atque acute dicta, non ea tamen, quae nos ad feliciorem mali curam ex recta diagnosi pendentem praeparare potuissent.

Quod nostrae aetatis attinet tempora, in iis primum ophthalmiatriae ditandae atque perficiendae lumen Vindobonae effulsit. Primus extitit *Bahrdtius*, Josephi II. Imperatoris Augusti Ophthalmiater Aulicus et Professor in academia Vindobonensi, cui deinde celeberrimi ejus discipuli *Beerius* atque *Schmidtius* adjungebantur. Hi triumviri non solum in omnibus aliis ophthalmiatriae partibus, verum etiam in illa de oculi inflammatione doctrina uberrimas scientiae opes experientia duce sibi colligentes primi eo adducti sunt, ut firmiora stabilirent praecepta, quae in diagnosi ophthalmiarum medicum adjuvare et ad certiorem adducere possunt sanandi rationem. *Bahrdtius* sine dubio in eo taxandus videtur, quod ea omnia memoratu digna, quae experientia duce cognoverat, clandestinae sapientiae instar sibi retinebat, nec cum aliis uberiorem artis suae cognitionem communicabat, paucissimis discipulorum exceptis quos principis sui jussu instituere cogebatur. Inter quos *Schmidtius*, vir eximiae sagacitatis atque immortali inter ophthalmiatros memoria insignis non penitus a praeceptoris tramite recessit. Paucis modo atque fidelioribus inter auditores suae doctrinae tradidit partem, omnia a se proposita mysticorum verborum ambagibus abscondere atque obscuritate quadam involvere studuit,

atque egregia iſta, quae publice docebat ophthalmiatriae praecepta, tantummodo vaga, incerta atque in fragmenta quaedam diſrupta lectoribus exhibuit ſuis .Pauciſſimi igitur inter ophthalmiatros Germaniae reperiuntur, qui Schmidtium in arte ſua praeceptorem laudare poſſint.

Tertius vero inter Vindobonenſes ophthalmiater *Beerius* a tramite praeceptoris atque collegae ſui penitus diſceſſit. Cuilibet auditorum ſuorum ad ea aditum conceſſit, quae medico et ophthalmiatro ſcitu neceſſaria reperiuntur, et iis, de quorum induſtria atque aſſiduitate ſibi habet perſuaſum, uberrimam multa, quae ad hanc artem ſpectant, videndi atque cognoſcendi praebet occaſionem, ut adeo omnes fere Germaniae ophthalmiatri hanc artem Vindobonae edocti inter Beerii diſcipulos referri mereantur. — Qui vir eximius prae caeteris etiam novam atque memoratu digniſſimam ophthalmiarum diagnoſin docuit, quae experientia duce eſt obſervata et in ipſa rerum natura ſtabilita atque confirmata, et quae, ſi rite recteque eam ſequimur nobis demum viam ſternit ad ophthalmiarum curationem ſucceſſu feliciori ſuſcipiendam et ad coecitatis periculum a multis aegrotis in tempore amovendum.

Sed ignota adhuc erant illa praecepta multis medicorum, qui Vindobonae *Beerii* de ophthalmiatria praelectiones frequentare non potuerant, ideoque pauciſſimis proprium videbatur, quod ad tantum aegrotorum numerum rite recteque ſanandum omnes poſſidere debebant. *Bee-*

rius ipſe negotiorum practicorum copia impeditus ea publice evulgare nequit, quae ſubtiliti et ampla adjutus experientia eventu proſperrimo et cum inſigni obſervationum ubertate proponere potuiſſet. Duo igitur diſcipulorum ejus loco de hacce doctrina ſcitu digniſſima tradere ſunt conati. *Johannes Spindler*, Profeſſor Herbipolitanus, vir vere doctus, fuit primus, qui compendium de oculorum inflammationibus ex *Beerii* praeceptis conſcribere adgrederetur [1]. Alter, *C. F. Jaeger*, Bavarus, diſſertationem inauguralem de ophthalmia ſyphilitica et arthritica concinnavit [2], ibique, uti decet *Beerii* diſcipulum, docte atque diſtincte de utroque morbo diſſeruit.

Verum enim vero opus neceſſarium adhuc reſtare videbatur, quod aeque diagnoſin ac medendi methodum exhiberet, quod formae morbi errores atque complicationes uberius pertractaret, et quo duce etiam medicus nondum plura edoctus ad ipſam uti poſſet ophthalmiarum ſanationem. *Spindleri* libellus compendium magis eſſe videtur, cujus auxilio in praelectionibus ſuis, ſicut ipſe aſſerit auctor, uti conſtituerat. Multa igitur eo conſilio omitti debebant, ut ipſe uberiorem diſcipulis ſuis exhibere poſſet praeceptorum expoſitionem, non in ipſo libello contentam. Praeter ea compen-

1) *Handbuch der Lehre von den Augenentzündungen*, von D. Johann Spindler, *Würzburg*, 1807, 8.

2) C. F. Jaeger *über den Unterſchied der arthritiſchen und ſyphilitiſchen Ophthalmie*, *Landshut*, 1808. 8.

)(

dium Spindlerianum, uti mihi ſaltem videtur, ea bene compoſita et in ordinem digeſta tradit, quae ex *Beerii* praeceptoris ſui praelectionibus hauſerat. Sed cum reliqua prodant, auctorem non admodum exercenda ophthalmiatriae arte occupatum eſſe, plura libello deeſſe videntur, quae tantummodo ab illo exponi poterant, qui multa vidit et in uberiore artis uſu eſt verſatus. — *Jaegeri* autem diſſertatio duas modo complectitur ophthalmiarum ſpecies, et licet ipſarum diagnoſis optima in ipſa expoſita videatur, cum fragmento tamen doctum ejus ſpecimen eſt comparandum, quo totius operis inopia magis prodi, quam tolli videtur. Quare liber, qui omnium oculi inflammationum deſcriptionem complectitur, non operi ſupervacaneo erit adnumerandus.

Auctor operis nunc in lucem editi Vindobonae *Beerio* duce ophthalmiatriae operam dederat addiſcendae, et Virum Celeberrimum ad lectulos aegrotorum, in noſocomiis publicis et in clinico domeſtico et in praelectionibus ſuis diſſerentem, operam ſuam non fruſtra impendendo audiverat. In patriam Saxoniae terram redux factus ipſius regionem intravit ophthalmiatri inopia laborantem. Vidit ibi et adhuc videt ex obcoecatis undique concurrentibus triſtes ophthalmiarum inepte curatarum effectus, et ſimul non ſine felici ſucceſſu ophthalmias multas et diverſas cum obſervare tum curare poterat. Hinc mihi uberior oblata videbatur occaſio praecepta et obſervationes praeceptoris mei cum aegris, quorum cura mihi demandata erat, comparandi, et, licet *Beerii* dicta in omnibus fere confirmata eſſe intelligerem, tamen ab

taxanda illa agendi ratione abſtinui, quae in magiſtri verba jurare jubet, et a qua etiam *Beerius* omnes ſuos diſcipulos magnopere dehortabatur.

Ut medicis igitur compendium de ophthalmiis cognoſcendis atque curandis exhiberem, praeſens opus conſcribere incepi atque tandem peregi. Sub finem tamen quaedam monenda ſunt, ut eo facilius juſtum et aequum de meo labore judicium feratur.

Singula operis capita hac ratione conſcripſi, ut quaſi de qualibet ophthalmiae ſpecie in ipſis pertractata ſeparatam proponerem deſcriptionem ſeu monographiam. Inde ſimul quoddam ipſarum deſcriptionum diſcrimen obſervabis, quarum altera uberior eſt, altera brevior, ſed ita tamen ſimul comparatae, ut et diagnoſis et aetiologia et prognoſis et medendi ratio ubique diſtincte propoſita ſit, et facile intelligenda. Quare non ſine cauſa ſpero, fore, ut varia ex hujus libri lectione utilitas ad ipſam praxin ſit redundatura. Caeterum omnia ſuperflua omiſi, ſemel jam dicta raro iterum iterumque repetii, ideoque hunc librum ſtricto ſermone concinnatum tali modo coarctare ſtudui, ut ea tantummodo lector reperiat, quae dictu neceſſaria videbantur.

Inde etiam apparebit, hoc opus non conſueta ratione, qua multi aliorum libri ſolent, ſed ſaepius et animo ſemper attento ab iis perlegendum eſſe qui aliquid inde utilitatis percipere cupiverint. Multa omiſi, quae medicus jam ſuam

artem edoctus ſcire debet et quae ipſi libellum perlegenti tralatitia eſſent, multa etiam tam breviter adumbravi, ut in paucis verbis multa contineantur, et lectori iſtis pauculis verbis diutius inhaerendum ſit, ſi uberiorem dictorum ſenſum animo comprehendere voluerit. Interdum enim temporis premebat anguſtia, cum animum meum aliis negotiis maxima ex parte occupatum hujus tamen ſimul laboris neceſſitas urgeret. — Sed de nova iſta ophthalmiarum diagnoſi non timendum erit, ne incerti quidquam protulerim, de quo adhuc poſſit diſputari, et quod non uberiore experientia cognitum ſit atque confirmatum. Imo cum mihi perſuaſum eſſet de dictorum veritate, illa edere non dubitavi, ut miſeris auxilium feratur, ut multi medici ophthalmias rectius curare incipiant, utque non amplius coecorum et deturpatis oculis incedentium grex vias premat, quae ſanis tantum atque vegetis hominibus patent.

Caeterum a Lectore aequo atque benevolo hanc mihi expeto veniam, ut, quae a me ad ſcribendum nondum ſatis exercitato forte non ſatis eleganter neque ſatis perfecte prolata ſunt, ab iis ſejungat, quae ad rem ipſam in libello meo tradendam, hoc eſt ad ophthalmiarum diagnoſin pertinent atque curationem. Primus fui, qui hac via ad ejusmodi laborem ſuſcipiendum incederem, et mihi praeter experientiam in hac arte exercenda a me collectam et praeter doctiſſimi praeceptoris dicta non multum adjumenti ſuppeditatum fuit, quo in concinnando hoc opere uti potuiſſem. In quibusdam mei libri capitibus, ut in iſto de ſacci lacrymalis inflammatione omnes etiam priſti-

nos aliorum labores, quibus uti potuiſſem, penitus abjeci, cum ex iſtis nihil omnino ad meum prodeſſe conſilium, atque ab iis omnibus abſtinendum eſſe, attenta omnium libellorum de fiſtula lacrymali editorum pertractatio me doceret. — Sine dubio poſteriorum aetas meliora de ophthalmiarum cura poterit proferre. Sed illa melior ſcientia, ſicut in omni alia re, ita etiam in doctrina de oculi inflammationibus non locum habere poſſet, niſi jam via ſtrata atque bene trita illis recentioribus ſcriptoribus pateret. Mihi ſaltem fuit iter per ſaltum ſatis confragoſum atque inaequali et impedito tramite infeſtum. Velitis igitur ea, in quibus propter viae impedimenta errare coactus ſui, non tam meae negligentiae, quam ipſius potius tribuere laboris difficultati.

In ipſo opere conſcribendo hunc ordinem ſervavi, ut in duas divideretur partes. Prior continet ophthalmias idiopathicas, ſeu in oculo ipſo absque omni corporis univerſi labe haerentes. Altera vero ophthalmias ſympathicas deſcribit, ſive iſtas, quae ex quadam corporis totius conſtitutione vel ex morbo ipſius univerſali decurſu quodam ſingulari atque ſymptomatibus ab iſtis idiopathicae ophthalmiae diverſis oriuntur. Cum praeterea quotidiana jam me doceat experientia, quanti errores a medico in praeſcribendis medicamentis ophthalmicis committantur, operae pretium facturum eſſe judicavi, ſi quaedam de formulis ophthalmicis dicta operi meo adjicerem, quod promiſſum etiam ſub ejus calcem exſolvi. Indicem denique rerum in tali libro perneceſſarium una adjeci. Caeterum primas plagulas mendis quibusdam

typographicis deturpatas video. Ex longo locorum intervallo, quo a me remotus vivit typographus, haec vitia originem duxerunt. Quapropter lectorum veniam eo modo mihi parare ſtudui, ut ſchedulam mendis a me obſervatis plenam libro adjicerem. Ita valete.

Scripſi Chemnitii, Call. Octobris cIↄIↄcccx.

DE
MORBIS OCULI HUMANI
INFLAMMATORIIS
LIBRI XXIII.

PARS PRIMA.
DE OPHTHALMIIS IDIOPATHICIS.

LIBER PRIMUS.

Diſquiſitio de Inflammatione in univerſum ſpectata, et de illa oculorum praeſertim.

§. 1.

Varia omnino ſunt atque diverſa, quae ab antiquiori inde aetate usque ad recentioris aevi tempora diſputarunt de inflammatione viri in medica arte clariſſimi. Qui quidem, cum omnes ex ſymptomatibus, quae in inflammatione in oculos incurrunt, diſtinctam mali notionem colligere ſtuderent, non raro in eo erra-runt, ut magis ſymptomatum quam ſtatus ipſa producentis habita ratione notionem aut minus diſtinctam aut ex parte perverſam exhiberent.

Multi praeterea in iſto capite errores exinde originem duxerunt, quia non ad ſingula vivi corporis organa, quae ipſi expoſita reperiuntur inflammationi, attendentes, talem morbi ex loco affecto differentiam conſtituerunt. Quod quidem inflammationis ex organo adfecto diſcrimen ad noſtra usque tempora fuit neglectum. Aliam ejus differentiam, quae ex virium in organo adfecto copia et vigore pendet, et quae etiam in cura mali ſumma attentione digna videtur, recentiori quidem aetate viri in ſua arte clari exhibuerunt. Attamen hac unica ratione tantum noſtra aetate doctrina de inflammationibus emendata eſt, reliquis ipſius capitibus majore adhuc dignis perſcrutatione.

§. 2.

Verum enim vero cum non meum ſit, ſub initio libelli mei amplam exhibere criſin atque hiſtoriam doctrinae atque opinionum inde ab Hippocratis aetate ad noſtra usque tempora de in-

flammatione propositarum, in iis tantum adquiescam, quae de inflammatione in universum proferenda erunt, quando oculi phlegmonen contemplamur. Uti mihi saltem videtur, oculi sic adfecti contemplatio quaedam nobis ad rectum judicium de omnium corporis organorum inflammatione ferendum perutilia suppeditare videtur.

§. 3.

Plurimae vivi corporis partes, eaeque omnes, in quibus inflammationis originem atque praesentiam observare licet, duplici ornatae reperiuntur facultate, nimirum irritabilitate et sensibilitate. Prior in vasis praesertim atque tela cellulosa haec vasa vestiente, altera in nervis sensibilitati inservientibus animadvertitur. Ex nervis quidem utraque vis ita pendet, ut pars nervorum ad vasa atque telam cellulosam commeans iis quasi irritabilitatis instillet facultatem, cum reliqua nervorum pars, ea praesertim, quae exteriores obtinet corporis et organorum fines, et quae ipsum finire solet nervorum tractum, sentiendi magis facultati inserviat. Attamen utramque vim in omni organo junctam et tali modo compositam videmus, ut ubique simul adsit, ut pars quaelibet suam recte peragere valeat functionem, ut in telae cellulosae interstitiis, ubi per extima vasa partes nutrientes effunduntur, nutritio et partium absorptarum reproductio locum habeat, ut organa ad excernendum apta particulas ipsi destinatas secernant, et ut omnis corporis nutritus ejusque vita ex arcta rectaque sensibilitatis pendeat cum irritabilitate conjuncta atque composita actione, nec sine utriusque aequilibrio inter se vera totius organismi integritas constare possit.

§. 4.

Certa praeterea utriusque facultatis et in toto corpore et in singulis ipsius organis adest copia, nimia ipsarum intentione, citius seriusve exhaurienda. Quae copia utriusque, et irritabilitatis et sensibilitatis junctim animadversa vires exhibet et orga-

norum ſingulorum et totius corporis, earumque conſtituit quantitatem. Senſibilitas aut irritabilitas, ſi nimia unius organi actione fuerit exhauſta, ex reliquo corpore, ſi integrum fuerit, mox reſtitui poſſunt. Quod ſi vero una alterave aut etiam utraque indigeat aegrotus, atoniam adductam videmus et ſingulorum organorum aut totius adeo corporis, quae ipſius morbos reddit graviores, et ſanatu difficiliores.

§. 5.

Irritamento quodam abnormi in organon quoddam agente, hujus actio varia ratione aucta atque ſimul immutata reperitur. Irritamenta vario modo effectus exſerunt, modo in ſenſibilitate, modo in irritabilitate organi, alterutram aut utramque ſimul modo augentia, modo deprimentia. Attamen, licet facultas una prae altera ſola adficiatur, tamen arctus utriusque nexus mox unius labem etiam in alteram traducit, eoque modo citius ſeriusve uno irritamento utriusque et ſenſibilitatis et irritabilitatis actio laeditur. Propria organi vita ex utriusque ſyſtematis actione compoſita cum ipſius functionibus exinde pendentibus vario modo ſolet immutari.

§. 6.

Quae vita organi propria ex recta utriusque facultatis conjunctione compoſita etiam conſtituit virium in organo latentium aequilibrium. Quae certa quidem quantitate inſtillatae nimiam neutrius ſyſtematis actionem absque noxa perferre poſſunt. Quando igitur ex irritamento tali, aut ſenſibilitatem aut irritabilitatem augente, nimia oritur in hac vel illa parte alterutrius actio, et quando ita ſublatum eſt utriusque aequilibrium, quod mutuum et in ſingulis organis et in toto adeo corpore conſtabat, inde ſeriem ſymptomatum organo plus minusve infectorum oriri videbis. Senſibilitate nimium aucta inde dolorem et ſpasmum excitari animadvertes, et utrumque phaenomenon, niſi recte ſopiatur, certam ſenſibilitatis in quovis organo diſperſae quantitatem eo modo

exhaurire valet, ut tandem, omissa ipsius ex vicinis partibus restitutione totius sensibilitatis diminutionem atque partium paralysin adducat. Aucta praeterea sensibilitas irritabilitatem quoque adficit ipsi junctam, et citius seriusve auctam ejus adducit efficaciam.

§. 7.

Auctis porro irritabilitatis effectibus nimiam primo videbis sanguinis adfluentiam, quae summum atque primum constituit irritabilitatis incitamentum, quo ipsius actio perpetuo sustentatur, et ex quo etiam auctum partis adfectae volumen ejusque rubor pendent. Quando in tali rerum statu sensibilitatis organa varie dispersa nondum ab irritabilitatis organis sic adfectis propter mutuam eorum cohaerentiam morbo sunt adjuncta, nec dolorem habebis nec majorem hujus sanguinis copiae in consuetas organi functiones influxum. Qui corporis status sub merae congestionis nomine distinguendus erit. Sensibilitate demum per sanguinis congestiones adfecta, dolore exorto atque aucta sensibilitate et ad actionis in irritabilitate augmentum conferente congestionis transitum ad inflammationem fieri videbis. Cujus quidem initium et primum stadium eo terminatur, ut non unum modo systema aliqua ex parte, sed utrumque simul adfectum sit, neque rubor tantum atque tumor, verum etiam pruritus, dolor, et reliqua phaenomena sensibilitatem adfectam praenuntiantia malo recens suborto adjungantur.

§. 8.

Utroque systemate jam orta inflammatione adfecto etiam functiones organo inflammato propriae varia ratione immutantur. Sub mali initio ex aucta sensibilitate atque ad incitamenta nimium reagente spasmum oriri vides, et omnium fere excretionum oppressionem. Sensibilitate vero nimia successu temporis exhausta atque deminuta, vires organi majorem nutrimentorum copiam, quae ad partem aliquam est delata, etiam aucta vasorum lymphaticorum absorptione, quae inflammationis discussionem, uti vo-

catur, producit, aut fecretione priftina in organo denuo majorem in modum repetita, aut etiam nova per fuppurationem excitata, amovere incipiunt. Quo plura igitur parti inflammatae organa infunt fecretoria, eo majus et fecretionis augmentum et majorem materiei fecretae a ftatu naturali diverfitatem, quae ex nutrientis principii copia majore in ipfa degente, et ex actionis ipfius inter fecernendum diverfitate pendet, — habebis. Cujus quidem fententiae veritatem inflammationes oculi, qui tam multis inftructus eft organis fecretoriis, uberius demonftrant, id quod paullo infra confirmabitur.

§. 9.

Quaelibet igitur inflammatio in duplex dividitur ftadium. Prius eft illud, quando nimia in utroque fyftemate locum habere folet actio, quando et major fanguinis adfluentia, et dolor vehementior et fpasmus et ex fpasmo fecretionum oppreffio magis minusve infignis obfervatur. Spasmo ob fenfibilitatem exhauftam remittente etiam fecretiones redeunt, et inde fyftemati quoque irritabili ejusque vafis fanguine turgidis atque refertis prima occafio exhibetur, qua morbum pedetentim abolere et ad priftinum ftatum organon reducere poffint. Senfibile igitur fyftema eft unicum, quod, fi recte tractabitur, primam inflammationis adfert deminutionem. Tractatur quidem et incitamenti in illud agentis imminutione, quo fanguinis praefertim pertinent evacuationes, et topicae et univerfales, et fimul ipfius actionis imminutione, quae quidem fedativis atque narcoticis optime locum habebit. Quae fi recte eaque ratione fuerint adhibita, ut cum fingulorum organorum natura, et utriusque fyftematis, quod in ipfis latet, aequilibrio cohaereant, certa quidem fperanda erit fanitatis reftitutio.

§. 10.

Attamen cujusdam organorum discriminis mentio erit injicienda, quae et gravem conftituit ipfius inflammationis differen-

tiam et in cura hujus mali quam maxime eſt reſpicienda, ſi feliciori ſucceſſu hujus mali curam agere velis. In quibusdam organis ſyſtema irritabile praevalet, uti in pulmonibus, in corde et hepate, in aliis ſyſtema ſenſibile majore cum vi agit, uti praeſertim in oculo, et in partibus genitalibus, in aliis denique utriusque ſyſtematis aequalis adeſt vigor atque ſtatus, atque inflammatio utriusque vim auctam v. g. in cerebro, ventriculo, tractu inteſtinorum.

§. 11.

Inde magnum pendet in ipſa ſanandi methodo diſcrimen. In vera et genuina partium inflammatione, quae minore ſenſibilitate majore contra irritabilitate inſtructae reperiuntur, remedia uſum praeſtant vaſorum actionem et ſanguinis copiam deminuentia, ſimulque vaſorum abſorbentium vim augentia, — v. g. ſanguinis evacuationes topicae et univerſales, remedia antiphlogiſtica, cum diaeta atque regimine eadem efficiente conjuncta, et mercurii uſus. Sic inflammatio pulmonum, cordis atque hepatis in homine alias robuſto et bene vegeto iis omnibus feliciter ſanabitur, cum contra opii aliorumque in ſenſibilitatem agentium uſus mortem citius ſeriusve acceleraret. Interdum in aegrotis per ſe ſenſibilibus in tali morbo etiam aliqua alterius ſyſtematis adeſſe poterit adfectio. Attamen ea levioribus remediis cuilibet aegroto aptatis, fomentis emollientibus, pediluviis, ſemicupiis, aut ipſo etiam totius corporis balneo, quando reliquus aegroti ſtatus et morbi praeſentis ratio ipſum admittit, citius ſanabitur, nec fortioribus opus erit remediis, niſi ſingularis aegroti ratio etiam ipſorum exigat uſum.

§. 12.

Plane diverſa vero adhibenda erit aegroti ſanandi ratio, inflammationem quando in organo animadvertis majore ſenſibilitatis copia, minore vero irritabilitatis inſtructo. Habes hic cauſam infelicioris eventus in plurimis oculi inflammationibus, quando

medici oculum, ſicuti reliquas corporis partes contemplati, methodo mere in irritabile ſyſtema agente oppugnarent, quando ſingularem organi ſenſibilis prae omnibus reliquis rationem non diſtinguentes; irritabilis actionis deminutione ſenſibilitatem indies augerent, eoque modo etiam morbi phaenomena magis magisque accumulata mox oculi et viſus adducerent extinctionem. Habes hic cauſam, cur opii et hyoſciami tantus ſit in ophthalmia uſus, quem quidem recentiori demum aetate experientia duce detectum, mox omni applauſu ubique receperunt. Attamen de regulis, quae in uſu narcoticorum obſervandae erunt, infra uberior exhibebitur disquiſitio.

Eadem ex cauſa vides, cur in inflammatione genitalium ſedativa, topice adplicata, emollientia, quorum quidem uſum, uti mox demonſtrabitur, oculi ratio maxima ex parte vetat, et ipſa denique narcotica, opium, hyoſciamus, cicuta, etc. tam eximium praeſtare ſoleant uſum.

§. 13.

Caſus quidem reperiuntur ſingulares, in quibus earum quoque partium, in quibus ſenſibilitas praepollet, inflammatio remediorum in ſyſtema irritabile agentium uſum requirit. Attamen perpauci noſtra aetate reperiuntur, et ex corporis aegrotantis conſtitutione, hominis vitae ratione atque diaeta, ſicuti ex febris concomitantis vehementia et vigore ſunt cognoſcendi. Verum enim vero tunc etiam ſedativis una cum antiphlogiſticis rite recteque adplicatis opus erit.

§. 14.

Tertius denique organorum ordo, parem utriusque ſyſtematis vigorem oſtendens, in inflammationibus remedia, quae in utrumque ſyſtema effectus ſuos exſerunt, poſcit. Sic in mera atque genuina gaſtritide, enteritide, phrenitide non ſanguinis tantum evacuationibus atque medicamine antiphlogiſtico opus erit, verum narcoticis etiam nimia ſimul imminuatur ſyſtematis ſen-

ſibilis vehementia atque vigor. Attamen tunc cautus ſit medicus, qui in quolibet aegroto utriusque ſyſtematis mutuam invicem et ſingularem cum organorum viribus compoſitionem comparare debet, ſi in utrumque medicamentis agere decrevit.

§. 15.

Alia porro reſtat inflammationis diviſio, quae ex virium organi adfecti ratione pendet. Quae certa virium copia adeſt, ea ex partis atque totius corporis nutrimento pendet. Quae ſi nimis parva fuerit, ut auctam utriusque ſyſtematis actionem, quae cum inflammatione conjuncta eſt, ferre non poſſit, mox virium copia imminui ſolet, aut adeo exhauritur, et ſic morbum habes, quem ſub inflammationis aſthenicae nomine diſtinxerunt, et cujus citam in gangrenam ſeu organi mortem immutationem ex virium ipſius per inflammationem exhauſtione obſervare perſaepe licet.

§. 16.

Qui quidem inflammationis ſtatus animadvertitur in omni hujus generis morbo, in quo auctam unius alteriusve ſyſtematis actionem aut plane non, aut nimis ſero remedia debilitarunt, aut talia fuerunt adhibita, quae ipſam augebant, et quando tanta fuit inflammationis vehementia, ut ſub ejus finem vires organi, aut adeo ipſius vita morbo cedere cogerentur, — ſi porro non juſtus et aptus ad utriusque ſyſtematis aequilibrium reſpectus locum habebat, ſi morbus hominem adgreſſus erat, qui aut per ſe debilior habebatur, aut inaequali unius alteriusve ſyſtematis actione vel organo prae reliquis debiliore laborabat.

§. 17.

Tali in caſu gravior cura ſingularem requirit medici ſanantis cautionem, ſummumque ipſius ſtudium ad ipſum hominem, ad ejus ſyſtemata, organa eorumque vires relatum, ut et in-

flammationem partis pro varia systematum efficacia atque virium organi quantitate recte curet, et incitationem ex ipsa in toto corpore factam sedet, et simul vires debilitatas eo modo sustentet, quo nec partium nec organi vita propter morbi vehementiam extinguitur. Attamen saepius medici vel cautioris conamina felici carebant successu propter morbi vehementiam, sublatum systematum aequilibrium et virium exhaustionem aucta systematum efficacia ortam.

§. 18.

Ejusmodi inflammationes cum partis atque totius corporis jactura et debilitate conjunctae etiam hominis oculum persaepe adoriuntur. Videmus tales in blepharo - et ophthalmoblennorrhoea, sive adultos sive infantes labefactaverit, ubi sub ophthalmiae neonatorum nomine celebratur, — et in ophthalmia arthritica. Utrumque malum cum inflammatione conjunctum ita quidem nititur laxitate fibrarum insigni, ut in priore sive blennorrhoea membranae potius laesae atque atonicae sint, et a nimio fluidorum accessu distendantur, in altera autem vasa potius debilitatis atque atoniae sedem exhibeant, atque magis minusve varicosae reperiantur. — Utraque vero ophthalmia interdum consueta ratione sanari nequit, atque saepius etiam gravior et summa cum atonia juncta omnia fere medici sanantis consilia eludit.

§. 19.

Sed ab illa inflammationis in universum spectatae disquisitione ad ea redeamus, quae de oculi inflammationibus differenda sunt. Uti jam supra adnotavimus, et ut omnia in ophthalmiis monstrare videntur symptomata, — systema sensibile, quod in oculo praevalet, etiam in ipsius inflammationibus sensibilitatis auctae producit symptomata, eoque modo etiam ad mali curam remedia requirit ipsum deprimentia sensibile systema.

Attamen oculus ex variis compositus est partibus, quae mo-

do irritabilitate modo fenfibilitate majore inftructae reperiuntur. Porro oculi inflammationes non femper omnem occupant bulbum, faepius unam tantum alteramve laedunt oculi partem, ideoque etiam diverfa inde fymptomata prodibunt, quae ex diverfa pendent affectae partis ratione. Interdum etiam irritabile fyftema ex adfecta parte oculi magis irritabili in actione fua ita quidem auctum reperitur, ut fenfibilitas una emineat, et ftatus inflammationis aequiparandus fit illorum organorum inflammationi, in quibus utrumque fyftema pari eminet gradu, ideoque remedia ufum praeftant in utrumque fyftema fimul effectum editura.

§. 20.

Antequam igitur ad fingulorum in ophthalmiis fymptomatum enumerationem transgrediamur, prae caeteris organa oculi funt defcribenda, prout uni alterive magis adnumeranda fyftemati, eam quidem ob caufam, ut fymptomatum feries paullo poft defcribenda clarior reddatur; et, quod mali rationem attinet, facilius fit dignofcenda.

Meram fere atque puram fenfibilis fyftematis actionem monftrant retina atque nervus opticus fua per bulbum extenfione retinam formans. Utrumque principale quidem oculi organon reliquas quafi dirigit partes, et fuper iftas eminens fuum morbum non folum ipfis tradit, fed ab ipfarum etiam affectione facillime in morbi illarum communionem trahitur.

§. 21.

Organis majore praeditis irritabilitatis copia prae caeteris adnumeratur corpus ciliare cum proceffibus fuis et organis ipfi vicinis, choroidea et iride. Attamen fumma retinae his ipfis partibus adjunctae vicinia ipfarum inflammationem etiam cum retina citius communicat, atque fenfibilitatis auctae, photophobiae, atque coecitatis ex photophobia phaenomena tali in cafu femper adeffe folent. Minus fenfibiles porro partes fcle-

rotica sunt atque cornea, quae magis ex irritabilitatis actione pendentes etiam in inflammationibus suis majores ederent irritabilitatis, minores vero sensibilitatis effectus, nisi organis magis sensibilibus modo enumeratis essent magis vicinae. In utraque porro membrana etiam vasorum copia minor atque tenuior adest. Magis vero ex tela cellulosa sunt compositae, albumine indurato referta, atque cartilaginosae naturae esse videntur. Cum vero omnis telae cellulosae nutritus extimis vasorum peragatur canaliculis, et partium systemati irritabili adnumerandarum ea tantum reperiatur facultas, quam reproductionem vocant, etiam haec tela ad ipsum irritabile systema erit referenda.

§. 22.

Quod conjunctivam attinet bulbum obtegentem, ea paullo magis sensibilis esse videtur, et multo majore simul instructa irritabilitatis copia, quod ex majore intelligitur vasorum copia, hancce membranam percurrente. Vita ipsius ex utraque facultate junctim praesente pendens, majore propterea cum vigore exseritur, incitamenta oculum commoventia ipsam multo citius adficiunt quam scleroticam et corneam ipsi vicinam, et ipsius inflammatio multo majore cum tumore et cum dolore satis vehementi solet continuari.

§. 23.

Longe aliter vero sese res habet in lente crystallina et in vitreo humore. Quamvis utraque pars vasis instructa sit atque nutriatur, quamvis et influxui retinae et corporis ciliaris expositus sit et ex utraque parte vitae quasi recipiat vigorem: — tamen ipsius utrumque organon expers reperitur sensibilitatis, merae tantum irritabilitatis particeps. Laesiones utriusque partis nullos adducunt dolores, nisi una partes majore sensibilitate instructae laedantur. Densior lentis fabrica ex laesione tantummodo nutritus per irritabilitatem peracti vitium,

quod in obſcuratione ipſius nititur, adducit, — humor vitreus contra ne hos quidem ex ruptura partis oſtendit effectus et integer vel ex vehementi remanet laeſione, niſi et una ophthalmia arthritica ſeu ſingularis fibrarum laxitas oculum tali modo adfecerit, ut glaucoma, ſeu humoris vitrei obſcuratio exinde originem ducat.

§. 24.

Alia contra ratio erit partium oculi bulbum circumdantium et quaſi veſtientium, quae a ſingulari hujus partis ſtructura paullulum recedentes reliquo jam corpori ſimiliores reperiuntur. Quod palpebras attinet, in iſtis irritabilitas cum ſenſibilitate aeque et ita quidem praepollet, ut utriusque effectus in utraque palpebrarum ſuperficie diverſus edatur, et in interna cutis per ſecretionem mucoſam et glandulas ibidem adnatas in membranam abeat mucoſam, in externa vero cutis reliquo corporis integumento perſimilis reperiatur. Palpebrarum igitur inflammationes et remediis in utrumque ſyſtema agentibus, et ſi in interna haeſerint ſuperficie uti inflammationes membranarum mucoſarum, in externa vero, uti iſtae cutis, ſive eodem modo, quo Eryſipelas erunt ſanandae.

§. 25.

Quod partes attinet orbitae internas atque bulbum ibidem circumdantes, eae per ſe quidem majore inſtructae ſunt irritabilitate cum maxima ex parte ex muſculis atque tela celluloſa compoſitae reperiantur. Attamen nervorum inſignium per ipſas diſcurrentium copia et cerebri meningis nervique optici vicinia, et ipſius orbitae membrana inſigni ſenſibilitate inſtructa inflammationibus partium laudatarum cum inſigni irritabilitatis incremento junctis etiam gravem adjungit ſenſibilitatis adfectionem, quae tanta eſt, ut morbus ſymptomata exhibeat iſtis in phrenitide perſimilia, quae citos medici effectus in utro-

que ſyſtemate edendos poſcunt, ſi non tam oculum aegroti, quam potius vitam ſervare velit.

Quod glandulam attinet lacrymalem, iſta reliquis glandulis excernentibus perſimilis etiam ipſa illarum morbis una expoſita reperitur. Quamvis ipſius irritabilitas major, ſenſibilitas vero minor conſpiciatur, organorum tamen magis ſenſibilium vicinia etiam inflammationibus glandulae ſummam ſenſibilitatis adfectionem et ſymptomata fere phrenitica adjungit.

§. 26.

Quod denique inflammationes ſacci atque ductus attinet lacrymalis, iſtae quidem, cum per ſe non ad oculos pertineant, eam ob cauſam tantum adnumerandae erunt, quia ſymptomata ex iſtis pendentia oculis quoque magis minusve infeſta reperiuntur. Utriusque ſyſtematis praeſentia in iſtis organis ita quidem obſervatur, ut major irritabilitatis vigor, et membranae ſimul mucoſae ſaccum veſtientis major adſit ſecretio. Attamen ad ſymptomata inflammationis nos convertamus in ſingulis oculi partibus conſpicua, quae quidem, antequam ad ſingularum ophthalmiarum deſcriptionem accedimus, eo conſilio enumeranda erunt, ut diagnoſis ipſarum ſublevetur, alias tam gravis et tanta juncta obſcuritate.

LIBER SECUNDUS.

De Diagnoſi Ophthalmiarum, earumque ſanatione in univerſum ſpectata.

§. 27.

Quae de partium oculi comparatione inter ſe facta in antecedentibus paragraphis propoſuimus, iis haec quidem clariora reddentur, quae nunc a nobis tradenda ſunt. Initium nobis facien-

dum erit a partibus oculi bulbum circumdantibus, *palbebris*, *glandula et caruncula lacrymali*, ab *organis in orbita contentis et a ductu lacrymali*. Deinde ad *bulbi inflammati* ſymptomata nobis erit tranſeundum, ad *externas ipſius membranas*, ad *iridem* et ad *corpus ciliare*, ad *lentem* et ad *corpus vitreum*, denique ad *retinam* atque ad ipſum *nervum opticum*, qui, licet pars orbitae eſſe videatur, majori tamen jure ipſi bulbo erit adnumerandus.

§. 28.

Merae *palpebrarum inflammationes*, nec cum phlegmonoſa ipſius bulbi affectione junctae ſymptomata exhibent ab iſtis, quae in aliis corporis organis eodem modo conſpicua ſunt, non admodum diverſa. Externi palpebrarum lateris inflammatio Eryſipelas exhibet merum atque genuinum interdum etiam cum oedemate junctum, prout hic morbus diverſum exhibet cutis inflammatae ſtatum. Quae in Eryſipelate alius cujusvis partis adhibentur remedia, eadem etiam huic malo conducunt. Calore ſicco et aromatico, ſi talem cutis ferat, partis ſanitas citius in integrum reſtituetur.

§. 29.

Internum palpebrarum latus, ſi inflammatum fuerit, etiam phaenomena monſtrat, quae in qualibet alia conſpiciuntur membrana mucoſa, glandulis materiam pinquem atque ſeboſam cum fluido ſeroſo mixtam excernentibus vaſisque exhalantibus referta. Dolor adeſt, cum rubore atque tumore conjunctus, ſiccitas primo partis, deinde ſecretionis in ipſa augmentum, et, niſi chronicum et corpori conſuetum fuerit, certus nec infringendus mali decurſus. Remedia conducunt primo ſpasmum vaſorum ex nimia ſenſibilitate ortum deminuentia, quae hoc modo rectam promovent ſecretionem, deinde vero ſecretionem cohibentia atque ſtyptica. Morbo chronico atque diuturno remedia conducunt, quae irritamenti ſui vehementia chronicum iſtum ſtatum cum ſenſibilitatis deminutione junctum in acutum

transmutant. Quod ſi factum fuerit, denuo ea praeſtabunt utilitatem, quae ſecretionis tranſitum maturant, eamque ſub morbi finem opprimunt.

Omnia praeterea, quae morboſam reddunt reliquam cutem, incitamenta, etiam palpebris infeſta fieri poſſunt, ut exanthemata varia, variolae, morbilli, ſcarlatina, impetigines varii generis, ſcabies, — et in iis ſymptomata etiam reliquae cuti communia producunt.

§. 30.

Symptomata ex inflammatione glandulae lacrymalis, muſculorum, telae celluloſae, nervorumque in orbita contentorum, jam ſupra in univerſum exhibuimus. Non ſolum phrenitidis animadvertuntur ſymptomata, verum etiam perſaepe cum meningum vicinarum cerebrique ſuppuratione citius orta juncta apparent. Saluberrima hic ſunt antiphlogiſtica omnis generis celeriter et repetitis vicibus exhibita, venae ſectiones, hirudines palpebris admotae, Calomelis internus, et unguenti neapolitani fronti illiniti externus uſus, et narcotica, quando irritabilitate jam imminuta nimia dolorum atque ſpasmorum vehementia ipſorum poſcere uſum videtur.

Quod exitus inflammationis glandulae et carunculae lacrymalis attinet, non raro in aegrotis ad hocce diſpoſitis in ipſarum abibit indurationem, quae cultro admoto tantum in nonnullis aegrotis ſanabitur.

§. 31.

Quod ad ſacci lacrymalis inflammationem ſpectat, ea etiam ipſius tumorem, tactu facile cognoſcendum, et impeditam lacrymarum abſorptionem efficiet. Sanatur ſub primo morbi initio inunctionibus mercurialibus cum camphora mixtis, aut, ſi ultra tres vel quatuor dies continuatum fuerit malum, et ſuppurationis exortae ſigna extiterint, fomenta emollientia requirit, donec rumpatur abſceſſus, ſeu eo usque maturuerit, ut una

cum facco per lanceolam aperiri poſſit. Lege artis et ratione paullo poſt deſcribenda malum deinde in integrum, ſi fieri poteſt, reſtituatur.

§. 32.

Ad inflammationes, quae ipſa bulbi organa adficientes ſingularia ibidem producere ſolent ſymptomata tranſeamus. Conjunctiva bulbi diverſa eſt ex partis, quam obtegit, ratione Illa ſcleroticae laxa eſt atque in inflammatione aut inſignem vaſorum oſtendit copiam ab ſanguine immiſſo tinctam, aut una ipſius cellularum tumorem magis minusve inſignem, qui in Chemoſi et Ophthalmoblennorrhoea ad ſummum gradum auctus corneam valli ad inſtar magis minusve obtegere ſolet.

Illa praeterea in parte, qua conjunctiva ſcleroticae in illam corneae tranſit, ubi ſclerotica corneae adjungitur in nonnullis ophthalmiis ſymptomata obſervamus, quae arctam monſtrare videntur vaſorum conjunctivae cum iſtis in corpore ciliari conjunctionem. Quae nititur in vaſorum conjunctivae copia majore et denſitate illa in parte ubi ſclerotica corneam tangit concurrentium. Exoritur inde limbus rubicundior corneam ambiens. In iis praeſertim ophthalmiis obſervatur, quae cum organorum in oculo irritabilium labe praeſertim conjunctae reperiuntur, et quae imprimis in corpore ciliari ejusque ramulis effectus noxios edere ſolebant. Hinc tralatitium tale ſymptoma habebis in oculi inflammationibus arthriticorum et venereorum atque in rheumaticis diuturnis et male curatis.

§. 33.

Aliam monſtrat rationem conjunctiva corneae. Quae admodum tenuis eſt atque ſtricta, et tela celluloſa valde denſa corneae adhaeret. In leviore inflammatione plane nullam oſtendit mutationem, in graviore vero aut vaſa monſtrat nonnulla ſanguine refecta, quae ex conjunctiva ſcleroticae in ipſam commeant, aut ſuborto jam ſecundo ophthalmiarum ſtadio obſcura-

tionem varii generis ex pure ſecreto pendentem aut ſuperficiei exulcerationem, in qua ipſius membranulae exulceratae lobulos diſcernere valemus, aut denique in aegrotis ad tale quid diſpoſitis ex ophthalmia externa eaque chronica perſpicuitate ſua tali modo orbatur, ut lympha coagulubilis in ipſius cellulis magis minusve effundatur, atque pannum ſic dictum conſtituat.

§. 34.

Varia omnino ſunt remedia, quibus in conjunctione bulbi morbis eſt utendum, cum ſinguli ipſius morbi quorum, ſicuti poſteriores paginae monſtrabunt, permulti reperiuntur, etiam diverſam remediorum requirant efficacitatem, quae infra uberius erunt exponenda. Omnibus fere bulbi inflammationibus etiam hujus ipſius membranae phlegmone adjungitur, ipſa prima adeſt, quae plurima excipit ad inflammationes oculi incitamenta, et unde demum ſolet malum ad interiores tranſire oculi partes.

§. 35.

Sclerotica inflammata etiam ſemper minorem exhibet ſymptomatum copiam, cum et magis chronica ſit, et minore vaſorum copia inſtructa. Levem inde vides ipſius ruborem, continuum tamen, nec ſingulis ſtriis interruptum, cum vaſcula ſcleroticae tenuia ſint, nec cartilaginoſa telae natura talem ipſorum admittat per ſanguinem immiſſum extenſionem, ut vaſculi tramitem medicus diſtinguere valeat. Roſeam igitur, nec altiore rubore tinctam ſemper videbis ſcleroticam, ſi vel gravioris inflammationis in oculo particeps fuerit facta. Sub inflammationis vero externae incremento etiam omnia ſcleroticae inflammatae phaenomena diſcerni nequeunt. Etenim conjunctiva tumet, eoque modo omnem ſcleroticae aufert adſpectum.

§. 36.

Remedia singularia in scleroticae inflammtionibus non adhibentur. Eadem sunt, quae in quavis alia inflammatione externa morbi ratio atque natura requirit. Organi natura vix a cartilagine diversa etiam minorem ostendit inflammationem, et a symptomatibus libera reperitur, quae alias a parte inflammata neutiquam abesse solent. Rarissime, vel plane non suppuratur, vel ulcus ostendit ut adeo in universa bulbi per pus exortum colliquatione integra maneat, nec tam cito, uti cornea consumatur. Ulcera ipsius quidem interdum adesse videntur Attamen in conjunctiva scleroticam tegente, non vero in ipsa sclerotica latent. Exitus reliquos inflammationum vix ac ne vix quidem in sclerotica medici observarunt, si atrophiam ipsius cum bulbi totius imminutione junctam exceperis, quae scleroticam tactu molliorem exhibet, — atque sic dictum staphyloma scleroticae, quod potius in duplicem morbum dividendum erit, non integra atque distincta ipsius notione. Modo enim sub ipso excrescentiam quandam hujus membranae intellexerunt, in oculo ad scirrhum atque excrescentias disposito locum habentem, modo etiam insignes varices in oculo maxime corrupto ex choroidea subjacente et sclerotica ibidem depravata atque consumta prominentes, uti ipsas ab amico mihi conjunctissimo Ill. *Graefe* descriptas legimus [1], qui ipsas sub Telangiectasiarum nomine comprehendit.

§. 37.

Ad morbi symptomata quae cornea nobis exhibet inflammata nos convertimus. Stricta membranae fabrica ipsius vasa in opthalmiis non semper sanguine exhibet referta, nisi scrophulosam, interdum rheumaticam, ophthalmiae externae gradum vehementiorem et nonnullas alias exceperis. Saepius contra in cornea effectus inflammationum secundarios, ulcera nempe atque suppurationem videbis.

[1]) Angiectasie von C. F. Graefe, p. 31.

Quod corneae ſuppurationem attinet, iſta modo in ſuperficie ipſius ſub ulceris inſignioris nomine comprehenditur, modo intra laminas ipſius ex pure locum habet effuſo, ut cornea absque ulcere purulenta conſpiciatur. — Distinguendum igitur erit inter ſimplicem puris ex inflammatione ſubnati in corneae parenchymate collectionem, et inter ulcera corneae ſuperficiem vel internam vel externam occupantia. Utrumque phaenomenon perſaepe junctum occurrit. — Interna iſta puris generatio intra corneae luminas facta non certum obtinet locum, modo in media parte, modo in lateribus ita quidem apparet, ut ſemper pus ſecretum per laminarum interſtitia ad inferiora tendere conetur, atque ſic inferior corneae pars perſaepe ſedem obſcurationis exhibeat inde pendentis.

§. 38.

Puris copia eo modo ſi fuerit ſecreta, ut intra corneam atque conjunctivam ipſius obtineat locum ſub onygis nomine comprehenditur. Cognoſcitur tunc eminentia quadam, ſi oculum a latere adſpicere volueris, facile diſtinguenda, et ex mollitie quadam ſingulari, qua tumor corpori tangenti paullulum cedere ſolet. Quando autem pus intra ipſius corneae laminas colligitur, illud ex eo cognoſcere valemus, quod cornea a latere adſpecta nullam exhibet eminentiam, ſed ipſius ſuperficies, niſi ulcus ſuperficiale una conſpicias, integra atque aequalis reperitur.

Si igitur intra corneae laminas pus tali ratione ſit collectum, ut omnis membranae parenchyma quaſi ejusmodi materia purulenta perfuſum conſpiciatur, non ſolum craſſitiem corneae ſaepius auctam videmus, ſed mox etiam ipſius nutritionem tali modo perditam, ut hic prima obſervetur ſtaphylomatis corneae origo. De quo quidem, cum alio in libello nobis dicendum ſit, hic nil aliud addendum videtur, quam hoc, ſtaphyloma ex ſumma originem ducere corneae per ſuppurationem univerſalem depravatione. Qua quidem durante inflammatione ulterius pro-

greſſa ſemper aequaliter rotundam et ſimul arcuatam amittit cornea ſuperficiem, in media parte ex diſtenſione per pus facta arumen quoddam adipiſcitur, et cornea per ſuppurationem eo modo immutata, in corticem, uti vocatur, abiit purulentum.

§. 39.

Sed ad ulcera, quae corneae ſuperficiem in multis oculi inflammationibus externis obtinent, nobis erit tranſeundum. Ipſorum differentia, uti conſpectus docet, diviſionem in ichoroſa et purulenta conſtituit. Utriusque generis diagnoſis, cum in capite de ophthalmia ſcrophuloſa uberius ſit exhibita, merito hic praetereatur. Decurſus ipſorum ſimili modo diverſus reperitur. Ichoroſa in corneae magis ſuperficie ſerpunt, et conjunctivam ejus laminasque corneae externas ſibi vaſtationum eligunt ſedem. Rariſſime tam alte penetrant, ut corneae perforationem atque iridis cieant prolapſum. Attamen, ſi majori ambitu ſerpunt, et conjunctivam corneae penitus fere deſtruunt, et, ſi male curantur nebuloſam corneam ita quidem relinquunt, ut viſus impedimentum vix ac ne vix quidem amoveri queat. Adſtringentibus praeſertim cum Laudano mixtis ſanantur.

§. 40.

Quod vero ulcera purulenta attinet, quae eo imprimis excellunt, ut alte penetrantia corneam facillime perforent, atque iridis excitent prolapſionem, iſta, niſi grave fuerit malum, minorem oſtendunt ambitum, quando illum cum ulceris profunditate comparaveris. Attamen hoc ſingulare in iis obſervatur, ut facillime perſpicuitate membranam orbent, ut ipſam albidam reddant et cartilagineam, et cicatrices relinquant denſas, margaritarias, et in corneae ſuperficie prominentes. Ex ipſorum fundo pus facillime intra corneae ſubjacentis laminas effunditur, atque ſic puris generat percolationem, uti ipſam §o. 38. deſcripſimus.

In ipſorum denique origine atque progreſſu ſingulare videmus phaenomenon, ex illa nutriendae corneae ratione facillime

explicandum, quod docet, haecce ulcera purulenta cum vitio nutritionis in corneae parenchymate conjuncta incedere, — atque ichorosa paullo ante descripta non tam corneae quam conjunctivae potius morbum exhibere. Plerumque omne ulcus corneae purulentum in ipsius margine primo haeret, atque ex forma fibrarum circulari persaepe circularem exhibet figuram marginis partem in cornea ambientem. Optime tale symptoma videmus in iis ophthalmoblennorrhoeis, quae cum corneae suppuratione ejusque ulceribus purulentis junctae incedunt.

§. 41.

Ulcera tali ratione suborta mediam quasi circueunt corneae partem, et sub mali demum incremento etiam hanc tali consumunt ratione, ut cornea rupta lentis atque humorum suboriatur prolapsus. Iridis prolapsio, quae simili ratione ex corneae per ulcera perforatione exoritur, nunquam fere mediam obtinet corneae partem, quae, si exulceratione penetrante laesa fuerit, lentem atque humores tantum sinit exire. Unicus iridis prolapsus ex uno tantum ulcere ortus eminentiam quandam format in cornea, ejusdem cum iride coloris, quae a veteribus Myocephalon dicta, facillime cognoscitur. Quando autem per plura ulcera penetrantia plures simul locum habuerint iridis prolapsiones, istae persaepe annuli ad instar mediam circueunt corneae partem. Cornea si simul admodum corrupta atque exesa fuerit, videbis mali originem, quod ex multiplici in cornea eminentia sub staphylomatis racemosi nomine distinxerunt.

Vitia nutrimenti in cornea ab ipsius margine semper originem ducere, et ex alio videbis casu. Arcus senilis seu gerontoxon, uti vocatur, nunquam fere mediam laedit corneam, sed margini ipsius modo infensus circuli instar ipsam ambire solet. — Cornea tali ratione, vel arcu senili vel praegressis ulceribus purulentis depravata perspicuitatem suam eo modo amittit, ut scleroticae vicinae persimilis reddatur, et cornea in ipsam quasi soleat transmutari.

§. 42.

In cura ulcerum corneae purulentorum ante omnia hoc respiciendum erit, ut puris generatio tali modo promoveatur, ne partes vicinae consumantur, nec superficiei exulceratae sanatio sic procedat, ut pristina perspicuitate pars adfecta orbetur. Quamvis igitur conjici possit, tali in casu adstringentia perutilia esse debere, experientia tamen contrariam stabilire jubet sententiam. Etenim adstringentia cujusvis generis, et inter ipsa praesertim saturnina, si in morbo corneae cum puris secretione conjuncto adhibeantur, insanabilem adducunt ejus membranae obscurationem, ut adeo leviora quidem adstringentia tunc demum adhiberi possint, quando omnis fere in superficie exulcerata puris desierit secretio, et tunc cum multo Laudano proponenda sint necessario conjuncta.

§. 43.

In omni ejusmodi morbo Laudani usus fere unicus erit, ex quo spes sanitatis effulget. Partem nutrimenti depravatam restituit, atque nimiae sensibilitatis deminutione primam simul ad ophthalmiae sanationem exhibet occasionem. Primo adhibeatur in aqua ophthalmica simplici, et purum simul semel vel bis in die oculo illinatur. Puris secretione sic penitus fere sublata exhibeatur leviter adstringens cum multo Laudano mixtum, ut perditum partis robur restituatur. Inflammatione denique extincta atque ulceribus perfecte sanatis, si obscuratio quaedam corneae fuerit relicta, quae non cicatrix nominari meretur, ideoque, uti experientia docet, poterit sanari, — unguenta cum mercurio rubro parata perfectam restituent partis perspicuitatem.

§. 44.

Symptomata inflammationis in iride et in corpore ciliari maxima ex parte tantum ex mutata iridis superficie detegi

possunt, quae et quoad formam et quoad colorem a naturali longe aberrat. In iride caerulea margo internus primo in viridem tendit colorem, in badia et nigricante in rubicundiorem. Symptoma hocce sine dubio ex aucta partis vasorum actione pendet, quae si naturalis et partis viribus consentanea reperitur, etiam secretione in iridis superficie locum habente naturalem efficit membranae colorem.

Praeterea extensionem video iridis inflammatae, ut interiore ipsius margine magis contracto pupilla sit admodum angusta. Secretione abnormi nondum per iritidem prolata aequali tamen modo iris contrahitur.

§. 45.

Inflammatione vero in secundum jam stadium transgressa modo hypopion accedit ex puris secretione per totam iridis inflammatae superficiem facta, — modo abscessus in ipsa exoritur iridis substantia, modo denique lympha coagulabilis in margine interno exsudata et hunc modo imparem atque serratum reddit, modo pupillam penitus occludit. Quae omnia in capite de iritide exacte proposuimus, sicuti et symptomatum descriptionem ex iritide praegressa in ipsa membranula relictarum.

Symptomatis denique mentio injicienda erit, iritidem semper comitantis. Qui quidem vehemens est dolor, non solum in bulbo locum habes, verum etiam per totam faciem atque caput extensus, et cum ipsa visus deminutione in oculo iritide adfecto conjunctus. Oritur sine dubio per consensum ex vicinia retinae atque ex nervis ciliaribus una per istam inflammationis vehementiam correptis.

§. 46.

Quod denique symptomata attinet ex retinae morbo per inflammationem orto pendentia, haec maxima ex parte cum vicina conjunguntur choroidea, cujus vasa undique in ipsam retinam extenduntur. Dolor oculi atque totius capitis, summus

adeſt ſcintillarum et fulgurationis ſenſus, ante oculos obſervatur, atque viſus penitus ſublatus reperitur. Quae, ſi per aliquod temporis ſpatium fuerint continuata, etiam retinae ſenſibilitas exhauritur et vaſa choroideae tono ſuo orbata debilitantur, et in graviori malo fiunt varicoſa. Inde noxios, qui retinae inflammationem ſequuntur effectus, aut perfectam amauroſin, aut ſaltem phaenomena majorem vaſorum choroideae in retinam efficacitatem monſtrantia, quae in ſtriis atque maculis ante oculos poſitis conſiſtunt animadvertes. Tale ſymptoma ſi inveteratum, nec cum incremento interea temporis, quo jam continuabatur, conjunctum fuit, vix viſui pericula minitatur. Quando autem recens fuit, ex graviore inflammatione aut eximia oculi intentione coortum, quando recens enatus etiam citius augeri ſolet, — et triſtiorem exigit medici prognoſin, cum ſaepiſſime amauroſeos originem annuntiet.

LIBER TERTIUS.

De Blepharophthalmia ejusque ſpeciebus.

§. 47.

Sub blepharophthalmiae nomine morbum oculi inflammatorium intellexerunt, qui palpebris modo infeſtus, ſymptomata parti palpebrarum ipſo affectae propria atque communia exhibet. Frequentiſſima mali cauſa in ſingulari nititur cutis per aërem mutatum affectione, quae in membranulas corporis mucoſas tali agit ratione, ut in iisdem inflammationis excitet ſymptomata. Cum vero membranae mucoſae oris, laryngis atque faucium, narium atque oculi imprimis aëris nocivi acceſſui expoſitae reperiantur; et in iis multo ſaepius effectus videmus ab iſto incitamento ortos, quam in ullo alio corporis organo mem-

brana mucofa inftructo. In faucibus et larynge exinde angina atque tuffis, in naribus coryza fuboritur, — et cum fingularis oculi natura faepius palpebras quam ipfum bulbum tali malo occupari finat, etiam blepharophthalmiam inde ortam videmus.

§. 48.

Quod igitur hujus morbi caufam attinet, frequentiffime ex univerfali corporis labe pendebit, ideoque non in fectione de ophthalmiis idiopathicis, fed potius in capite de ophthalmia catarrhali et rheumatica enumerandus effet. Attamen cum univerfalis morbi caufa non morbi decurfum adducat ab idiopathico diverfum, ideoque eadem mali ratio reperiatur, vides inde, cur blepharophthalmiam ex caufa catarrhali pendentem etiam in fectione de ophthalmiis idiopathicis enumerare licuerit. Symptomata morbi diverfa erunt ex partis palpebrarum eo affectae differentia. Modo externa palpebra tantum inflammata eft, — hinc habes Eryfipelas palpebrarum et blepharophthalmiam externam, — modo interna tantum, et tunc blepharophthalmiam vides glandulofam, — modo utraque palpebrarum fuperficies mali exhibet fedem, atque exinde blepharophthalmitis vera atque fincera originem ducit.

§. 49.

Eryfipelas palpebrarum, quod, fi folum et absque alio palpebrarum morbo accedit, externam modo cutem occupare folet, cum pruritu atque rubore externi incipit palpebrarum limbi, atque per totam cutem externam eo modo extenditur, ut ad orbitae usque marginem, ubi reliquae faciei cuti palpebrarum cutis adjungitur, perveniat. Sed ibidem rubori diftinctos fines fic pofitos effe videmus, ut arcus inftar in alba et pallida faciei cute rubedo ifta palpebrarum orbitae ambiat marginem, atque hac ratione fines quafi definiat ambitus palpebrarum. Hocce fymptomate Eryfipelan palpebrarum ab omni alia cutis faciei inflammatione eryfipelatofa facillime difcernere poffumus. Saepif-

ſime malum occupat inferiorem palpebram rarius ſuperiorem. Cute palpebrarum ſic rubore tincta pruritus pungens omnem ejus ſuperficiem cum leviore cutis tumore incipit occupare. Ruboris ratio per ſe eſt diverſa. Attamen pallidior eſt, et ſimul obſcurus, ut magis violaceum referat colorem.

§. 50.

Quod ad huius mali ſpectat curam, ea caloris ſicci et aromatici ope facile peragitur, vitato omni remedio et frigidiore et madido. Sicuti in omni alio Eryſipelate graviora ex methodi minus aptae uſu videbis damna, ita etiam tale in Eryſipelate palpebrarum obſervabis. Non ſolum interiorem palpebrarum paginam exinde inflammatam et irritatam, aut hordeolorum in limbo obſervabis originem, ſed morbus etiam facillime ad bulbum ipſum transgredietur ibique graviora unius alteriusve oculi inflammati excitabit phaenomena. — Quodſi autem ſacculorum diſcutientium oculo impoſitorum ope palpebram inflammatam calore foveas ſicco et aromatico [1]), mox rubor Eryſipelatis imminutus incipientem oſtendit cutis deſquamationem, qua finita etiam omnia morbi cutem adficientis phaenomena disparuerunt.

§. 51.

Ad blepharophthalmiae ſpeciem nunc tranſimus, internam modo palpebram occupantis, ibique phaenomena exhibentis ex ſingulari tantum hujus partis ſtructura facilius explicanda. Glandulas mucoſas per totam internam palpebrarum paginam eo modo diſperſas videmus, ut majori copia accumulatae et in catervas inſigniores collectae ad palpebrae haereant limbum, et in illa ipſius conjunctivae parte, quae proxime cuti palpebrarum externae adjungitur. Cum regula certa ſit, atque firma, ut omnia organa, in parte quadam ſumma actione et majore vis vita-

[1]) Vid. Formull. §. de ophthalmicis diſcutientibus.

his copia instructa, etiam primam atque praecipuam morbi, partem laudatam occupantis, sedem exhibeant, ita etiam glandulae istae, perpetuo sebum excernentes et summa quasi totius palpebrae interioris organa exhibentes, — primam semper monstrabunt inflammationis sedem, palpebram oculi internam occupantis. Inde etiam pendebit secretionis glandularum istarum status morbosus. Exinde vides, cur omnes fere conjunctivae palpebrarum inflammationes sub blepharophthalmiae glandulosae nomine fuerint comprehensae.

§. 52.

Cum admodum frequens sit oculi inflammationis species, cum minus rapido incedat cursu, symptomata exhibeat non plane singularia, sed aliis sebi mucique profluviis communia, et cum neglecta et male tractata non tam celeriter tristes exerat effectus, ideoque majorem remediorum copiam et frequentius pericula de ipsis facta admittat, — cum denique palpebrae partem exhibeant reliquis corporis partibus magis quam ipsi oculi bulbo similiorem, ideoque remedia in prioribus usitata et longo jam usu comprobata facilius nec sine commodo in palpebrarum inflammatione exhiberi possint, quae in ipsa bulbi phlegmone admodum nocerent, — inde videtis, cur inter omnes oculi inflammationes hae praeprimis descriptae fuerint, cur sanationis successus in iis felicior locum habuerit, quam in iritide, bulbique inflammatione universali, — et cur nostra aetate tam exquisita jam et adcurate elaborata de iis scripta, uti illa Reilii Schmidtiique celebrantur, in lucem edi potuerint.

§. 53.

Frequentissima blepharophthalmiae glandulosae causa nititur modo in singulari ista aëris mutatione, catarrhalem morbum provocante, et sic ophthalmias procreante, quae fere epidemicorum morborum exempla adferre solent, — modo in particulis acrioribus et impuris ipsi aëri admixtis, uti hoc animad-

vertimus in pauperum tabernis, fumo, multorum incolarum exhalationibus et mephitico putore refertis, aut in hominibus, qui in ſtabulis jumentorum atque pecorum curandorum cauſa vitam degunt, — quibus omnibus ſenſibilis palpebrarum et oculi conjunctiva ad inflammationem incitatur, quae quidem in palpebrarum glandulis praeſertim noxios edit effectus, — modo propter conſenſum ex tranſitu ſanguinis per illa abdominis vaſa turbato pendet, quae, ſicuti ſanguinis nimiam ad capitis organa producit affluentiam, ita etiam cauſis praeſertim topicis in oculos una agentibus inflammationes oculi et palpebrarum non tam excitat, quam excitatas jam et perfectas nutrit atque alit, — modo denique mali cauſa originem ducit ex ſingulari totius cutis depravatione cum glandularum ſebacearum tumore et nimia actione conjuncta, quae in membranis mucoſis auctam glandularum iſtarum ſecretionem producit. Cujus quidem poſterioris cauſae uberiorem in capite de Pſorophthalmia injecimus mentionem, et hoc loco tantummodo nobis addendum videtur, ex ipſa ſaepiſſime diuturnas atque leviores ſimul blepharophthalmiae glanduloſae ſpecies originem ducere, quae ſub lippitudinis, lemoſitatis aut blepharophthalmiae ſenilis nomine in ſcriptis medicorum occurrunt. Ejusmodi cutis depravationem in iis praeſertim, quibus ex veterum opinione cachexia mucoſa tribuebatur, et quibus nimiam glandularum corporis mucoſarum actionem eſſe propriam obſervant, videmus.

§. 54.

Varii reperiuntur mali gradus, qui ex majore aut minore inflammationis vehementia originem ducunt, et qui recte ſejuncti facillime nos ex illo nominum labyrintho expedient, quibus veteres medici ſingulas ejusdem mali ſpecies, omiſſa quidem diſtincta cujusvis notionis expoſitione inſigniverunt, eoque modo praecepta de eo malo proponenda multo magis obſcurarunt, quam ut ipſius cognitionem atque ſanationem maturare poſſent.

§. 55.

Primum atque leviſſimum morbi genus in ſimplici tantum nititur actionis glandularum incremento, quae majorem muci copiam ſecernentes ſaepius absque ullo dolore aegrotant. Saepiſſime etiam omnis partis rubor abeſſe videtur, leviorem ſi exceperis circa ipſa glandularum corpuſcula in interna palpebra haerentem. Sub lippitudinis nomine inter nos occurrit. Huc pertinet etiam iſta lemoſitas, ſeu lippitudo angularis. Muci copia in angulo praeſertim detegitur interno, quo, uti experientia docet, omnia fluida, omnia corpuscula aliena ſub palpebris occultata nec adhaerentia aut ſpasmo detenta pedetentim deducuntur. Saepiſſime ſine ullo dolore reperitur, ſi pruritum veſperi praeſertim accedentem exceperis, qui interdum malo ſolet adjungi. Muci ſecreti particulae et bulbi et corneae ſuperficiem praeſertim obtegentes tali modo viſum perturbant, ut, ſi candelae lumen adſpexeris, hoc circulo quodam ſplendente ex intempeſtiva radiorum per mucum oppoſitum fractura orto cinctum eſſe videatur.

§. 56.

Gravius ſi fuerit malum, et muci copia et rubor limbi palpebrarum augetur. Cauſis mali perpetuo continuatis, malo ipſo ab aegrotis neglecto aut a medico inepte curato, diuturnus fit atque chronicus ejus blepharophthalmiae ſtatus, ut fere corpori adſuetam producat ſecretionem, nec ſine damno citius ſanandam. Pertinent huc praeſertim lippitudo iſta ſenum atque vetularum, lippitudo chronica in ſordidis hominibus, aut locum aëre impuro plenum incolentibus propria. In quibus, ſi medico illarum committitur ſanatio, cautus ſit in ſua morbi curandi methodo. Etenim experientia docui, aut glaucoma ex cita mali ſuppreſſione originem ducere aut etiam conjunctivam bulbi ſedem morbi talem exhibere, ut pannus non ſine difficultate ſanandus oboriatur.

§. 57.

Cura mali et in caufae eam producentis amotione et in inflammationis ipfius extinctione nititur. Caufarum modo ante uberius laudatarum una vel altera fi adfuerit, ante omnia, fi fieri poterit, amovenda erit. Deinde fecretionis abnormis, quae verum exhibet lippitudinis iftius fymptoma, ratio erit habenda. In malo recenti folutionem lapidis divini [1] bis terve in diem aut etiam faepius exhibeas laudano impraegnatam, aut unguentum cum aerugine, bolo et tutia paratum [2] femel vel bis illinatur. Quando autem malum adfuerit diuturnum et chronicum, ante omnia fecretio alia abnormis in vicino et per confenfum oculis juncto organo excitetur, talem fi absque infelici fucceffu lippitudinem chronicam fanare velis. Prae caeteris igitur emplaftrum veficans perpetuum utrique proceffui maftoideo applicandum erit, diuque puris profluvium ibidem alatur. Deinde fimplici primo aqua ophthalmica cum Laudano et mucilagine parata [3] oculus omni bihorio lavandus erit. Quibus per aliquot dies repetitis tenuis tantum atque multo laudano impraegnata folutio lapidis divini exhibeatur. Pedetentim nunc copia lapidis in aqua ifta augenda erit, aut ipfius loco unguentum cum aerugine atque tutia fubftituendum, et cum iis omnibus pergendum, donec malum locale perfecte fuerit fanatum.

§. 58.

Simul vero et perfpirationis et fecretionis alvinae, malum ejusmodi diuturnum fi feliciter oppugnare velit medicus, ratio erit habenda. Prior et lavacro tepido faepius repetito, et camphora, aut vino antimoniali cum pauco laudano mixto et omni vefpera exhibito augenda erit, altera vero pilulis cum fapo-

1) Vid. Formull. §. de ophthalmicis adftringentibus.

2) Vid. Formull. §. eandem

3) Vid. Formull. §. de Ophth. fedativis.

ne veneto et tartaro tartarifato paratis clysmatumque ufu frequenti ad perfectam usque mali localis fanationem alatur. — Quibus omnibus rite recteque peractis fanatio mali certa firmaque erit expectanda.

§. 59.

Quando autem morbus majore cum vehementia graffatur, et majus accedit fecretionis morbofae incrementum, etiam doloris gravior vehementia perfentitur, et major tunicae glandulas iftas continentis adeft tumor. Malum incipit cum pruritu limbum iftum occupante, ejusdem rubore atque tumore magis magisque omnem palpebrae limbum obducente. Pruritus celeriter tranfit in dolorem pungentem atque flagrantem, qui magna praefertim vehementia accedit, quando fecretio glandularum aucta nondum incepit, eaque incipiente imminuitur. Tumor limbi durior adeft, denfior, atque tanta praeditus fenfibilitate, ut fub leviffimo attactu graviores excitentur dolores. Limbus verfus externam palpebrae cutem non admodum immutatur rubore atque tumore una aut duabus lineis ab ipfo limbi margine remotis penitus defìnente. Verum ad internam palpebram tali modo protenditur, ut univerfam palpebrae conjunctivam et rubentem et tumidam reddat, utque adeo vafa conjunctivae bulbi majore, quam alias fieri folet, fanguinis copia referta confpiciantur. Major praeterea adeft rubor conjunctivae palpebrarum ea in parte, ubi majore copia glandulae iftae confpiciuntur, et conjunctiva proxime palpebrarum limbo adjungitur, quo fymptomate quaevis alia conjunctivae inflammatio a blepharophthalmia glandulofa difcerni pateft.

§. 60.

Dolor praeterea fub quolibet palpebrae motu, praecipue fi oculum claudis, augetnr, quod fine dubio ex conjunctivae inflammatae motu per orbicularis contractionem facto atque ex limbi utriusque inflammati attactu originem ducit. Hinc et

graviorem et paullo impeditiorem vides palpebrae motum, cum doloris timor ipſius orbicularis agilitatem reddat ſegniorem.

Vera malum primo in ſtadio ſimul comitatur Epiphora, cum lacrymae magna copia ſecretae atque profluentes et bulbum oculi, et palpebris apertis ipſas genas ſoleant irrigare. Mucus in palpebra interna plane nullus ſecernitur. Aucta vero inflammationis vehementia et ad illam conjunctivae partem transgreſſa, ubi ductus glandulae excretorii finiuntur, tunc etiam lacrymarum deſinit profluvium, et perfecta adeſt omnis in conjunctiva excretionis per inflammationem ſuppreſſio, quae ſiccitatem et palpebrarum et totius oculi externi adducit, et quam veteres ſub Xeromatis ſeu Xerophthalmiae nomine comprehenderunt. Admodum moleſtum tales aegri queruntur ſiccitatis in oculo ſenſum, qui vix ac ne vix quidem ablutione per aquam tepidam facta poterit mitigari.

§. 61.

Inflammatione primo in ſtadio hunc in modum aucta et canaliculi et oſtiola ipſorum, a nobis ſub punctulorum lacrymalium nomine comprehenſa ſymptomata ſpectatori exhibent ex ipſorum phlegmone pendentia. Omnis impedita reperitur lacrymarum, ſi adhuc ſecernantur, abſorptio, papillae lacrymales corrugatae et punctula clauſa reperiuntur, nec ullus, ſi digito ſaccum compreſſeris lacrymalem, prodibit per illa punctula lacrymarum liquor. — Quae canaliculorum inflammatio, ſi diuturna fuerit atque neglecta, ſaepiſſime ipſius canaliculi concretionem atque exinde dacryoſtagiam inſanabilem producet.

Conjunctiva bulbi etiam ex inflammationis vicinae vehementia levius rubere incipit. Si anguli palpebrarum tantum affecti ſunt, etiam conjunctiva bulbi angulis vicina leviore rubore tincta apparebit. Tota vero palpebra interna malo correpta, bulbi quoque conjunctiva ab inferiore et ſuperiore parte vaſa numeroſa atque cruore referta oſtendet. — Quae ſymptomata primo blepharophthalmiae glanduloſae ſtadio communia erunt.

§. 62.

Secundum ſtadium ſecretionis novae initio terminatur. Limbus palpebrarum ſiccitatem priſtinam amittit, et ad angulos praeſertim oculi pauxillum muci pellucidi oſtendit, cujus copia vero magis magisque augetur. Una pruritus iſte atque dolor pungens et flagrans imminuuntur, et quo magis aucta reperitur iſta muci ſecretio, eo minore accedunt vehementia, donec tandem penitus deſierint. Tumor limbi palpebrarum et conjunctivae una cum utriusque rubore decreſcit, et licet iſtae partes per totum ſtadium morbi ſecundum tumidae reperiantur, tamen non tantus adeſt tumoris gradus, quantus in primi ſtadii acme conſpiciebatur. Omnia mali ſymptomata, quae nunc iſtud comitari ſolent, ex muci pendent ſecretione, eaque pedetentim ſublata etiam penitus evaneſcunt.

§. 63.

Mucus ſecretus in anteriore haerens ſuperficie talem viſus adducit perturbationem, ut aegroti et diſtincte res objectas diſcernere nequeant, quippe quae ſaepius ſitum ſuum mutare videntur, et candelae lumen circulo nebuloſo obtectum ſit, qui quo longius a flamma remotus eſt aeger, eo major apparet, ſimulque variis gaudet coloribus huc illuc diſperſis. Omnia, quae aegrotus diſcernit, ipſi nebula quadam obtecta adparent, quae ex lenta demum oculi clauſi trituratione digito facta imminuitur.

§. 64.

Ipſe mucus vario temporis intervallo etiam varia inſtructus reperitur cum firmitate, tum colore et denſitate. Quo minor lacrymarum excretarum copia reperitur, eo ſpiſſiorem videmus mucum. Quo major igitur adeſt incitamentorum oculos afficientium et lacrymarum profluvium maturantium copia, et eo tenuior et fere aquoſus conſpicitur mucus. Quod imprimis fieri

ſolet tempore diurno, ſub crebro attritu digitis facto, ſub luminis aërisque frigidioris acceſſu, majore corporis intentione et ſanguinis circuitu inde aucto, et animi affectu lacrymas magis minusve eliciente. Spiſſior inde evadit mucus ſomni nocturni tempore. Saepius tunc obſcuriorem admittit colorem et maſſam exhibet firmiorem, nec facile in aqua diſſolvendam. Semper fere palpebrae aegroti ex ſomno mane excitati ſpiſſiore ejusmodi muco conglutinatae reperiuntur. Damnum gravius tali in caſu pararetur, ſi quis palpebras ſic firmius cohaerentes vi quadam atque rudi manu diſtrahere conaretur. Etenim epidermidis particulas in palpebrae limbo mucoſis ejusmodi cruſtis conjunctae develleret, palpebram ipſam eo modo vulneraret, atque ſic vulnere ſuborto facillime concretionem palpebrae utriusque in una alterave limbi parte, et quidem in ea praeſertim, quae in angulo oculi externo reperitur, et ubi ob viciniam utriusque limbi concretioni proxima occaſio exhiberi ſolet, — maturaret. Contra linteolo vel ſpongia aqua ſive lacte tepido irrigata palpebrae tamdiu ſunt fovendae, donec muco emollito ſponte diducantur.

§. 65.

Sicuti experientia medicos docuit, auctam ſemper obſervari glandularum ſebacearum ſecretionem, quando ex cibo comeſto digeſtionis operatio fuit aucta, — ita etiam muci in ophthalmia glanduloſa ſecretio ſemper poſt cibum ſumtum aucta conſpicitur. Similes effectus ex vini potu oriuntur. Aegroti minus periti exinde mali incrementum conſpicientes ſaepius cibi potusque magis irritantis rationem ſic habent, ut ab iis fere penitus abſtineant. Nec tamen ſine detrimento. Etenim in hominibus tali nutrimento adſuetis ex immutata victus ratione ſaepius debilitas originem ducit non ſolum toti corpori infenſa, verum etiam morbo oculum adficienti tale incrementum adducens, ut, ſi localis cura praeſertim minus recte acta fuerit, chronicum exiſtat malum, corpus ipſi ſecretioni in oculo abnormi adſueſ-

cat, nec ſanatio ipſius ita facilis reperiatur, uti alias eam inſtituere potuiſſemus.

§. 66.

Color praeterea muci ex illo inde ſecundi ſtadii tempore etiam diverſus conſpicitur. Mucus pedetentim ex albido in flavum abit colorem, et omnia fere admittit puris ſigna, ſi ab illo diſceſſeris, quod paullo ſpiſſior reperiatur, ideoque pro pure magis cum muco commixto habendus ſit. Magna interdum copia prorumpit, praeſertim in infantibus et tunc etiam inſignior adeſt conjunctivae palpebrarum tumor. Pedetentim vero copia muci purulenti hac ratione ſecreti imminuitur, et ſtatus palpebrarum in integrum redire incipit, donec et muci ſecretio disparuerit et tumor cum rubore in parte evanuerit adfecta. Sic fauſtum vides blepharophthalmiae glanduloſae exitum, qui accedet et, in cura recte inſtituta et in hominibus alias ſanis et admodum vegetis, qui nullam plane curam adhibentes ſua ſaltem negligentia iſtud non adferunt damnum quod alias ex inepta curationis ratione redundat.

§. 67.

Verum enim vero exitus morbi ſaepe minus fauſtus, nec malum, tam genuinum atque ſincerum reperitur, uti illud paullo ante deſcriptum propoſuimus. Modo in aegris univerſali morbo adfectis inflammatio ex palpebris ad bulbum tranſit, ibique ſingularia producit ophthalmiarum genera, quae ſingulis capitibus de ophthalmia ſiphilitica, arthritica, ſcrophuloſa, de ophthalmoblennorrhoea etc. exhibuimus. Modo ſingularis aegrotorum ſenſibilitas per ſe jam tranſitum mali ex palpebris ad oculum maturat, et ita ex ſimplici blepharophthalmia originem videmus ophthalmiae externae, iritidis et ophthalmitidis ſive inflammationis bulbi univerſalis. Modo morbi denique talis exitus reperitur, ut ſymptomata, quibus vitium palpebrarum organicum adducitur, accedant.

§. 68.

Primo noxa gravior et vix fananda orietur, fi fecundum morbi ftadium jam diutius conftet, et largior muci fecretio per longum continuata fuerit temporis fpatium, ut ita ifti fecretioni corpus adfuefactum fit, malumque inveteratum. Cautiffime tali in cafu aegrotus fanetur. Citius enim, fi adftringentibus glandularum actionem fupprimere volueris hoc quidem a te peragetur, verum infanabilis ipfius vifus perturbatio exinde ducet originem. Videtur tunc externae fecretionis loco in internis bulbi organis fecretio abnormis originem ducere, quae fine dubio in incipiente nititur glaucomate. Vifus imperfectus animadvertitur, praefertim vefperi, muscae ante oculos volitare videntur, et nigror pupillae fpectatori diligenti deminutus apparet. Pupillae mobilitas praeterea magis minusve imminuta confpicitur, et ex parte jam ad angulos oculi eft praelongata. Conjiciendum erit, talem humoris vitrei obfcurationem quae, fi inceperit, fine dubio caufam ejus mali exhibet, imprimis circa iftud Soemmeringii foramen locum habere, uti jam alio loco ex Beerii obfervatione tradidimus [1]), et in duplici etiam cafu propria experientia ducti obfervavimus.

§. 69.

Aliud praeterea in ftadio fecundo fymptoma accedere poteft, quo morbum producit ifti perfimilem quem in capite de Pforophthalmia fub Blepharophthalmiae ulcerofae nomine defcripfimus. Diverfum vero a Blepharophthalmia ulcerofa malum reperitur quoniam hoc non univerfalis comitatur corporis labes, uti hoc in Blepharophthalmia ulcerofa videmus, et quia magis localis adeft fymptomata modo ante laudata producens palpebrarum difpofitio.

Symptomata morbi talia reperiuntur. Durante jam blepharophthalmiae glandulofae ftadio, eoque ipfo tempore, quo mu-

[1]) Libell. Auctor. *De morbis humoris vitrei*, §. 26.

cus in materiam magis purulentam mutatur, in ipſius palpebrae limbo puſtulae prorumpunt, ex ipſis ſine dubio glandulis, quae intumuerunt, pendentes, atque pus, ſi ruptae fuerint, fundentes. Mox tota limbi cutis eo modo vulneratur, atque ſuperficiei ulceratae fit ſimilis. Ab aëre puriori tacta, ſummos excitat dolores, ut vel levior aëris commotio ſenſui ingrato praebeat occaſionem, ideoque aegri incauti oculos ſic affectos penitus claudant, quia ab ejusmodi dolore liberi eſſe cupiunt. Inde ſit, ut, ſi diu oculos claudant, cutis utriusque limbi ſic vulnerati magis minusve concreſcat, eoque modo Ancyloblepharon ſuboriatur, quod imprimis limbum utrumque in externo conjungit oculi angulo.

§. 70.

Interdum ex ruptis ejusmodi puſtulis ulcera remanent, eosdem effectus editura triſtiores, quos in deſcriptione blepharophthalmiae ulceroſae uberius expoſuimus. Quae, ſi in limbo alte penetraverint, ſi perichondrium tarſi ab ipſis fuerit in uno alterove loco corroſum, inſanabile Entropium ab iſtis efficitur, quod ex tarſi corrugatione aut partiali aut totali originem ducit. Tarſi corrugationem, uti jam ſupra monitum eſt, ſemper tunc obſervamus, ſi perichondrio ab ulcere laeſo eoque denuo ſanato tarſi ſuperficies a perichondrio decurtato fuerit contracta.

§. 71.

Aliud organicum vitium ex limbi palpebrarum exulceratione ducit originem, illi contrarium, quod in antecedenti §pho enumeratum fuit. Nempe Ectropium, idque perpetuum et inſanabile. Quando exulceratio ſuborta in angulis oculi potiſſimum haerens partes occupavit utramque palpebram inter ſe jungentes, mox iſtae commiſſurae, uti illas vocant, ulceribus conſumuntur. Quod ſi factum fuit, uti plerumque in utroque angulo ſimul, non in uno tantum videmus, etiam id omne ſublatum

eſt, quod utramque jungebat palpebram, atque everſa inferior palpebra graviſſimi generis Ectropium conſtituit.

Plerumque tunc temporis una ab ulcere conſumta reperiuntur puncta lacrymalia, cum papills atque canaliculorum initiis, quo fit, ut inſanabile lacrymarum remaneat profluvium, quod etiam tunc temporis locum haberet, ſi vel integra remanſiſſet palpebrarum commiſſura.

§. 72.

Denique ex blepharophthalmia glanduloſa minus recte ſanata Trichiaſin absque Entropio ex ſolo ciliorum ſitu mutato ſuperſtitem vides. Origo mali talis reperitur. Aegri ſi muci indurati cruſtas quae intra cilia limbis arcte adpoſita reperiuntur, amovere voluerint moleſtas, ſaepe obſeruant dolores. Inde iſta negligitur amotio, iſtaeque ſquamulae per ſat longum temporis ſpatium intra cilia relinquuntur. Ita non ſolum, uti interdum fieri ſolet, ſub cruſtis nova exoritur exulcerans ſuppuratio, ciliorum deſtruens bulbos, eoque modo inſanabilem adferens ciliorum extinctionem, verum ipſis etiam fruſtulis ſaepe ſitus ciliorum mutatur, iisdem per longius temporis ſpatium obtectorum. Quanam ratione hoc fiat, non certe definiri poteſt. Hoc ſaltem certum eſt, tali in caſu non tam inverſione ciliorum permanente, ex ipſa illorum flexione orta, quam potius ſitu bulborum mutato malum generari, ut ita limbi cutis, in qua haerebant, cruſtis iſtis in ſitu ſuo ea ratione mutata ſit, ut ad bulbum magis, quam ad partes exteriores cilia ſubcreſcentia convertantur. Trichiaſis tunc exoritur vix ſananda.

§. 73.

Haec quidem de decurſu morbi ad certam ipſius diagnoſin proponenda erant. Ex quibus omnibus prognoſis facile erit exhibenda. In ipſa quidem reſpiciendum eſt ad mali praeſentis ſtadium atque ad tempus, quo jam perduravit, ad mutationes denique a malo in ipſis palpebris effectas. Reſpiciendum deni-

que erit ad corporis universi blepharophthalmia glandulosa correpti rationem.

Fausta prognosis medico permissa est, si morbum levioris gradus sanandum accepit, seu, licet graviori incedat cursu, tamen ille non diu est continuatus. Etenim morbus aptis feliciter cedet remediis. Minus fausta contra locum habebit, si morbus fuerit diuturnus, atque aegroti corpus ipsi adsuetum. Etenim cura mali erit diuturna, sanatio difficilior atque incerta et medico minus cauto gravissima exinde in aegroti oculos damna redundabunt. Prognosis denique infelix erit, si morbus ad illum gradum evectus fuerit, ut jam vitia oculi vix sananda, qualis est corrugatio tarsi cum entropio juncta, ectropium ex commissurae exulceratione, atque trichiasis ex ipso originem duxerint. Omnis vero morbi organici absentia etiam prognosin magis faustam constituit.

§. 74.

Sanatio morbi pro ipsius stadio et gradu erit diversa. Alia medendi methodus requiritur in morbo recenti atque in primo ipsius stadio, alia in stadio secundo, si non modo stadii secundi initium, sed ejus etiam finem spectaveris, alia denique in morbi jam diuturni atque inveterati decursu. Indicatio summa in eo posita sit, ut causae morbum producentes atque alentes removeantur, — ut praeterea actio glandularum abnormis pedetentim in integrum restituatur, extincto ita omni inflammationis signo, quod in aucta ipsarum secretione sese prodebat.

§. 75.

Prima igitur medici actio in causa mali removenda erit posita, sive in primo, sive in secundo accesserit morbi stadio. Negligenda tantummodo erit haecce indicatio, morbum si ex causa jam extincta superstitem et per se jam nutritum esse animadvertis. Sic aegritudo in secundo stadio, si ex refrigerio suborta fuerit, et cutis jam pristinum recuperaverit statum, et

folummodo topicum malum in oculo fuerit relictum, vix diaphoretico regimine indigebit.

Quodfi igitur refrigeratio locum habuerit, uti in leviore blepharophthalmiae cura jam fupra laudata accidit, diaphoreticis, potu calido, camphora, fale volatil. C. C. atque veficatorio, donec rubeat cutis, adpofito, aut etiam balneo utendum erit, dum cutis integritas reftituta fit, quod ex fudore emanante, atque ex perfecta morbi univerfalis initium ophthalmiae comitantis extinctione cognofcimus.

Aëre impuro morbum nutriente aegrotus habitaculum mutet, aut, fi hoc fieri non potuerit, aëri puriori ullo modo acceffus praeparetur. Quodfi negligitur, uti in aurigis et equifonibus perfaepe videmus, quorum vitae negotia ipfos perpetuo huic noxae exponunt, morbus diuturnus exiftit, et vel vitia organica adducit, vel chronicum iftum mali ftatum, qui vix ac ne vix quidem fanationem admittit.

Omnis denique alia caufa, fi detecta fuerit, una removeatur.

§. 76.

Primum quod attinet morbi ftadium, id nonnulli aquae frigidae adplicatione ad palpebras faepius repetita fanare voluerunt, atque interdum etiam feliciter fanarunt. Verum cum pauciores fint, qui talem ferant aquae frigidae adplicationem, cum illa in aegrotis fcrophulofis et laxa fibra inftructis, cum in arthriticis, rheumaticis et in iis, quibus incipientis ophthalmiae gonorrhaicae fignum eft blepharophthalmia glandulofa, — non folum malum fanare non foleat, fed illud eo modo adaugeat, ut ad bulbum transgreffum chemofin gignat, ophthalmoblennorrhoeam et iritidem, — a frigoris ufu potius cautus quisque abftinebit, cum praefertim in ipfo tantum primi ftadii initio opem ferat, nec absque noxa in iis adhibeatur, qui ejus ufum alias bene ferentes, prima tamen fecundi jam ftadii monftrant fymptomata, — et cum medicus femper fere advocetur ad malum, quod non primum, fed fecundum jam ftadium exhibet.

§. 77.

Primum contra blepharophthalmiae glandulofae ftadium remedio indiget fenfibilitatem nimiam immminuente, fecretionem glandularum ipfius inflammationis discuffionem maturantem promovente, atque fic omnem alium morbi decurfum minus felicem avertente. Quod fimplici peragitur aqua ophthalmica cum Laudano et mucilagine quadam parata [1]), atque faepius oculis admota. Remedium iftud prae caeteris opem feret, fi dolores adhuc vehementiores in oculo adfuerint, et fi primum jam inceperit ftadii fecundi tempus, quo nondum purulentus factus fuit mucus. Etenim in ftadii fecundi fine adftringentia magis opportuna erunt, hac tamen conditione, ut Laudanum femper iis, fi fluida fuerint, largiori copia fit admixtum. Etenim alias in nonnullis aegris malum per aliquod tempus tantum opprimunt, novam deinde inflammationem excitantes, quae facillime ad ipfum tranfire folet bulbum, et ipfius morbi pericula auget.

§. 78.

Huic topico Opii ufui etiam calor ficcus vel etiam aromaticus adjungatur per linteola camphora inpraegnata, vel facculorum difcutientium ope magis minusve aromaticorum, qui palpebris adfectis imponendi erunt. Attamen in ipforum ufu fenfibilitatis femper erit ratio habenda, cum nonnulli reperiantur, quorum cutis et camphoram et aromata non ferat, et in quibus inflammationem fuscitent tactae cutis eryfipelatofam. Quodfi primo jam die detectum fuerit, prorfus ab his abftinendum erit, et linteolo fimplici tantum complicato oculus adfectus eo quidem confilio tegatur, ut ficco faltem colore reftitutus vaforum abforbentium vigor inflammationis promoveat difcuffionem.

§. 79.

Secretione muci jam magis purulenti orta, morboque ad finem ftadii fecundi properante adftringentibus non multa copia

1) Vid. Formull. No. IX, X, XI.

oculo admotis uti licet, ne secretione nimis diu continuata glandulae palpebrarum eo modo debilitentur, ut diuturnum et vix sanandum inde malum oriatur. Secretione tunc opus erit lapidis divini tenuiore et cum Laudano parata, quae magis magisque eo modo augenda est, ut plus lapidis istius contineat. Qua quidem pergendum erit, ad perfectam usque secretionis muci istius extinctionem.

§. 80.

Rubore atque tumore oculi ex malo penitus fere sanato superstite, utrumque symptoma unguento indiget et adstringente et aberrans partis adfectae nutrimentum in integrum restituente. Tunc opem feret unguentum cum Mercurio praecipitato albo, Bolo et Tutia paratum, seu Janini, ut vocant [1], seu cum adstringentibus laudatis, aerugine bolo et vitriolo albo, atque cum mercurio praecipitato rubro [2] mixtum.

§. 81.

Tantum est, de blepharophthalmiae glandulosae ejusque vehementioris sanatione. Verum alia morbus indiget medendi methodo, si jam inter chronicos referri debet, atque si secretio per ipsas glandulas abnormis et diuturna, cui corpus quasi jam adsuefactum est, cautam exigit atque circumspectam medici curationem.

Indicatio tunc in eo sit posita, ut non solum secretio abnormis eo tempore jam alio in loco suscitetur, quando illam palpebrarum supprimere velis, sed ut vehemens etiam commoveatur partis affectae incitatio, quae nova quasi et recenti inflammatione pristinam atque inveteratam una cum secretione, quae ipsam fuerat comitata, quodammodo supprimat.

1) Vid. Formull. §. de Ophthalmicis mercurialibus.

2) — — §. eandem.

§. 82.

Qua de causa in utroque processu mastoideo vesicatorium adponi debet perpetuum, et in ipsius loco per longius temporis spatium suppuratio est alenda. Bis simul, aut etiam ter hebdomadis totius spatio, si fieri possit, aegrotus balneum ingrediatur, atque in graviore casu mixtura utatur abdominis secretionem tali modo promovente, ut bis, ter, vel quater in die alvus laxa fiat et causae amoveantur, quae forte per aequilibrium actionum in abdomine turbatum in ophthalmiam ipsam redundare potuissent. Tali in casu prae caeteris aqua medicata salina, seu solutio salis cujusdam solventis cum extracto quodam leviore, extr. Centaur. Min. Millefol. Fumariae etc. mixta, de meliori nota commendari meretur. Universalis denique morbi cum topico vitio conjuncti suspicio si excitata fuerit, v. g. arthritidis, sive impetiginosi cujusdam contagii, etiam hisce omnibus a medico occurrendum erit, ut universalis quidem labes sit extincta, cum ad topici accesseris sanationem.

§. 83.

Quod vero ipsius blepharophthalmiae attinet sanationem, ea tunc demum est incipienda, quando ex secretionis in oculo suppressione ob novam secretionem in vicino organo excitatam nil prorsus ipsi visus integritati timendum erit. Methodus medendi eadem sit, uti in blepharophthalmia glandulosa supra jam fuit praescripta. Attamen cautus sit et magis lentus sanationis progressus, ipsaque remedia longiori intervallo mutata atque exhibita naturae effectrici in ipsius secretionis suppressione longius permittant tempus, ne nimis repentina suppressio etiam repentinam adferat ipsius visus turbationem. Etenim in ejusmodi casu secretio abnormis alio in loco excitata non semper oculum ab omni defendet periculo, glandularum actio si nimis cito suppressa fuerit, et bulbus ipse per morbi diuturni effectum debilitatus ad novum morbum dispositus manet.

§. 84.

Sub initium curae localis igitur aqua ophthalmica cum Laudano per aliquot dies adhibeatur, donec nimia oculi ſenſibilitas, quae ſemper fere talem comitari ſolet mali gradum, et qua demum extincta ad adſtringentium uſum nobis transgredi licebit, fuerit imminuta. Tunc primo ſolutio lapidis divini admodum diluta et cum multo Laudano mixta adhiberi meretur. Pedetentim lapidis divini copia augeatur. Finem ſanationi demum unguenta cum mercurio rubro ſeu albo et adſtringentibus mixta imponere valebunt. Initium uſus ipſorum ab illo inde tempore definiatur, quo lapis divinus per quoddam temporis ſpatium adhibitus ſtatum palpebrae adfectae non amplius meliorem reddit, et quo rubor atque tumor limbi palpebrae adfectae ex priſtino malo reſiduus et cum pruritu quodam veſpertino tempore conjunctus aegrotos adhuc divexat. Unguenta modo laudata tunc ad perfectam ſufficient mali extinctionem.

§. 85.

Morbo ad bulbum ipſum in aegrotis ad tale malum diſpoſitis transgreſſo etiam ſanatio locum habebit, in ſingulis capitibus, quae de inflammatione bulbi ipſius agunt propoſita. Cura blepharophthalmiae plane negligenda erit, quia partim ipſius vehementia ob inſignem bulbi labem minor reperitur, partim oculi ipſius inflammatio celeriorem adducit viſus et perturbationem et extinctionem. Quare ea prius evertenda erit, antequam ad blepharophthalmiae morbum comitantis ſanationem accedere poſſimus. Interdum etiam remedia bulbo ſanando adcommodata palpebras ſimul in integrum reſtituere poterunt. Oculi ipſius inflammatione extincta et blepharophthalmia inde remanente ad ſingularem demum ipſius accedere licet ſanationem.

§. 86.

Alia porro agendi ratione medico opus erit, puſtulis et ulceribus in limbi palpebrarum ex ſecundo morbi ſtadio ſubortis.

Medicamento tunc opus erit adſtringente atque ſimul reproductionem partis novam et integram conciliante. Qualia ſunt unguenta ophthalmica cum mercurio albo et adſtringentibus parata. Prioris inſignior ad ulcera palpebrarum purganda efficacitas ipſi tali in caſu praerogativam prae mercurio rubro concedere videtur. Praeterea ſecundum ipſam morbi et vitii in palpebris praeſentis varietatem inſignior medicamentorum unguentum conſtituentium differentia locum habebit.

§. 87.

Ut ſenſibilitatis in oculo ratio habeatur, minor primo copia mercurii albi forſan ʒß — ℈j unciae dimidiae excipientis maſſae addatur. Minor praeterea initio doſis adſtringentis remedii, et illud ipſum minus adſtringens unguento addatur. Sic v. g. bolus alba ſub curationis initio, et deinde demum oculo minus ſenſibili bolus rubra et armenia adhibeantur. Unguentum nimis forte in oculos egiſſe ex eo cognoſcimus, quando nimis longe et majore cum vehementia ex ipſius uſu dolet, et quando capitis dolor exinde originem ducit per plures dies et ad ſequentem usque diem continuatur. — Sub finem ſanationis mercurii copia non amplius augeatur, quod vero non de adſtringentibus valet, quorum et copia et vires augendae erunt, ſi omnem morbi ſanationem peragere volueris.

§. 88.

Quod ſi diuturna locum habuerit palpebrarum per ulcera corruptio, non ſolum iisdem opus eſt in morbi ſanatione cautionibus, quarum paullo ante mentionem injecimus, ſed iſtud etiam unguentum ſub initio mercurium tantum album contineat, nec ullam aut parvam ſaltem adſtringentium copiam, quae pedetentim tantum et addenda et quod eorum multitudinem attinet, erit augenda.

Quando autem per tarſi ex ulceribus corrugationem jam Entropium fuerit exortum, tunc ulcera, ſi adhuc relicta ſint, lau-

data poteris ratione ſanare. Attamen corrugatio tarſi et Entropium tanquam mala inſanabilia remanebunt. Cura tantummodo palliativa, uti dicitur, in iis locum habebit, quae in ciliorum nititur extractione, et imminuto hac ratione ophthalmiae exinde pendentis periculo. Quod quidem perpetuo repetatur, donec, uti ſemper ſub finem accidit, non amplius ciliorum obſervaveris ex inverſo palpebrae limbo regerminationem.

§. 89.

Ancyloblepharon ex aegri palpebras adfectas rariſſime aperientis, ideoque utriusque limbi concretionem promoventis negligentia ſubortum cultello ad ancyloblephari ſectionem deſtinato caute extinguendum erit. Morbo deinde organico medici manu amoto unguentum cum mercurio et adſtringentibus paratum novam impedire poterit limbi concretionem, ſi ter quaterve in diem palpebris illinatur, et homo per aliquot dies ſimul a ſomno retineatur, ne palpebris denuo clauſis nec limbi vulnere penitus fere ſanato nova et repetita palpebrae concretio, exinde oriatur.

§. 90.

Attamen in univerſum monendum eſt, ancyloblephari ex blepharophthalmia ſimplici reſidui ſanationem ſaepiſſime feliciorem habere ſucceſſum, quam illius, quae ex blepharophthalmia cum externa bulbi inflammatione conjuncta pendebat. Etenim in poſteriore ſaepiſſime concretiones vides palpebrarum cum ipſo bulbo et cum cornea jam per inflammationem obſcurata initas, quae per ſe jam graviter ſanandae eo triſtiorem exigunt prognoſin, quo magis cornea ſimul obſcurata et tela celluloſa utrasque partes jungens ſtricta et cartilaginea obſervatur. Malum organicum ad talem jam gradum auctum omnem fere medici ſpernere valet opem.

§. 91.

Peſſima ſemper prognoſis in tali caſu exhibenda erit, ubi commiſſuris palpebrarum exeſis Ectropium palpebrae inferioris

exortum fuit. Hoc insanabile est malum, et vix sperari poterit, fore, ut ullo modo tandem artis ope felicior excogitari possit ejus sanatio. Etenim via sanationis unica haec esset, ut in commissuris per ulcera exesis malum per suturam cruentam et per superficiei ulcerosae vulnerationem arte factam prima reunione everteretur. Attamen periculum sanationis nondum factum nos de variis admonet impedimentis, quae huic medendi methodo sese opponunt.

Eadem fere sanationis pericula frustra quidem facienda tunc temporis praedici possunt, si effectum exulcerationis habueris in puncta et papillas lacrymales sese exserentem. Etenim iis consumtis etiam lacrymarum absorptio penitus erit impedita, atque dacryostagia nulla plane ratione amovenda remanebit.

§. 92.

Quod denique trichiasin attinet ex situ ciliorum per crustulas immutato, illa aeque omnem curam respuet perfectam. Inflammatio bulbi inde pendens per tempus quoddam pilorum extractione amovebitur. Qua quidem saepius repetita sperandum erit, ut cilia, quae regerminatione sua tantam intulerant noxam, pedetentim repetita extinguantur extractione, neque amplius procrescant.

§. 93.

Quae de blepharophthalmia glandulosa nobis dicenda erunt. Morbo hocce cum erysipelate palpebrarum juncto, ita ut tota fere palpebra inflammata sit, sub blepharophthalmitidis nomine inter ophthalmiatros malum comprehenditur. Symptomata inflammationis primo in stadio majore cum vehementia incedunt, tumor palpebrae alte rubet, magis dolet, vix ullum fert tactum et omnis palpebrarum motus impeditus reperitur. Papillae lacrymales siccae sunt et clausae, nares lateris affecti simili modo fluido suo destitutae, — et saepissime bulbi ipsius inflammatio

malo ſolet adjungi. Secundo in ſtadio morbus non ſemper et glandularum meibomianarum aucta ſecretione et cutis externae deſquamatione terminatur, ſed interdum etiam abſceſſus in palpebrae parenchymate poterat obſervari, qui nos docet hocce in inflammationis gradu et internam palpebrae telam phlegmone fuiſſe correptam. Remedia nunc uſum praeſtant, contra utrumque morbi genus adhibenda, — ut medendi methodus duplex quaſi ſit atque ex regulis compoſita, quae utriusque mali ſanationem promovere potuerunt. Attamen ſimul primo initio topicae ſaepius requiruntur ſanguinis evacuationes per hirudines factae, ut eo citius et eo feliciori cum ſucceſſu inflammationis locum habeat extinctio per diſcuſſionem. — Quae cum omnia uberius in antecedentibus exhibita ſint, non amplius hic proponenda erunt.

§. 94.

Sub capitis hujus finem morbi palpebrarum mentio erit injicienda, qui ſequela tantum repetitarum in iſta parte inflammationum aptiſſime ſub blepharophthalmiae externae nomine comprehenditur. Differt admodum ab eryſipelate palpebrarum, quamvis hoc ipſi per ſaepe praeiviſſe videtur. Malum eſt frequens in regionibus Saxoniae montanis, cum contra Vindobonae inter Beerii aegrotos aut Lipſiae nunquam obſervare potuerim. Crebro inter infantes occurrit jam plures annos natos non tam ſcrophuloſos, quam potius depravatione cutis per immunditiem orta laborantes. Rariſſime locum habebit in infantibus divitum aut ſaltem eorum, qui majore cum cura ad munditiem inſtituuntur, et mali jamjam incipientis primum opprimunt initium. Saepiſſime contra locum habebit in ſordidis pauperum tabernis aëreque impuro refertis, et in infantibus veſtimentorum dilaceratorum et immundae artis ſqualore obtectis. Ejus mali exempla, quae mihi ſananda committebantur, ſemper in hiſce pauperculis locum habebant.

§. 95.

Conſpectus hujus blepharophthalmiae externae talis eſt. Omnis palpebrarum externa cutis, quae in eryſipelate rubore ad externum usque marginem tecta reperitur, in hocce malo cruſta ex lympha per inflammationem exſudata conſiſtente eſt obtecta. Ad palpebrae limbum eo modo extenditur, ut ad internum ejus latus non amplius pergat, ſed leviter tantum rubeat limbus internus, atque palpebrae conjunctiva vix inſignem monſtret ruborem, aut glandularum ſecretionem auctam, et a ſtatu naturali admodum aberrantem. Attamen dacryoſtagia una adeſt, cum puncti lacrymalis vis abſorbens per cruſtam illud tangentem eo modo turbata ſit, ut lacrymae cruſtam irrigantes eam perpetuo madidam mollemque reddant. Interdum et hocce abeſt lacrymarum profluvium, et punctum lacrymale ipſarum abſorptionem rite recteque peragere valet. Denique etiam in nonnullis aegris blepharophthalmiae glanduloſae ſymptomata cum iſtis externae conjuncta vidi.

§. 96.

Omnino variae mali cauſae reperiuntur. Saepiſſime eryſipelas palpebrarum neglectum et fluidis atque emollientibus inepte tractatum, vel lippitudo aut vehementior blepharophthalmia glanduloſa malo dedit occaſionem. Interdum in ſcrophuloſis cauſa catarrhalis impetiginoſam alae naſi et labiorum depravationem adducens primam exhibet blepharophthalmiae externae cauſam. Denique etiam cutis cura neglecta frequens erit momentum, quod ſaltem ad ejusmodi externam palpebrarum adfectionem praediſponere ſolebat.

Prognoſis in malo genuino et ſincero fauſta erit. Quando vero blepharophthalmia glanduloſa aut alia oculi inflammatio una adfuerint et hujus mali ratio prognoſin certam reddet atque firmam, quae ſemper fere fauſta erit, ſi malum in externa tantum haeſerit palpebrarum membrana.

§. 97.

Quod curam mali attinet, illa praefertim adſtringentibus, v. g. decocto corticis ulmi vel quercus alumine mixto, ſolutione lapidis divini vel aqua aluminata*) peragatur. Omni bihorio partes adfectae iis lavandae erunt, atque paucorum jam dierum ſpatio mali obſervabis imminutionem et perfectam tandem extinctionem, cutis ſimul ratio crebris et repetitis balneis erit habenda. — Blepharophthalmia glanduloſa, ſi una adfuerit, haec poſterior primo ſananda erit, atque deinde demum, ſi externum interea temporis remanſerit palpebrarum malum, etiam ad hoc ſanandum cura medici erit convertenda.

LIBER QUARTUS.

De Hordeolo.

§. 98.

Sicuti blepharophthalmiae glanduloſae ſymptomata praeſertim in eo conſiſtunt, ut et univerſa interior palpebrae ſuperficies glandulis conſita in ſtatum tranſeat inflammatorium, atque eo modo ſecundo in ſtadio auctam producat ſebi ſecretionem, ita etiam localem obſervarunt inflammationem, limbum palpebrarum occupantem, ejus ſedes, — uti omnia nos docent ejus ſymptomata, una aut altera glandularum eſt, cujus parenchyma cum tela illud veſtiente inflammatione corripitur. Partis inflammatae volumen plus minusve accreſcit, atque corpus ſpectanti exhibet in coni forma elatum, quod modo ſuppuratione perit, modo arte diſcutiendum erit, modo etiam chirurgica manu eſt amovendum. Sub Hordeoli nomine (graec. κριθή) inter nos celebratur.

*) Vid. Formull. §. de Adſtringentibus Ophthalmicis.

§. 99.

Cum ratio mali affectum requirat glandularum ſtatum, etiam in hominibus frequentius reperitur, quorum in cute glandularum vis vitalis praeter modum aucta conſpicitur. Uti videmus in hominibus ſcrophuloſis, aut cute ſordida laborantibus. Quapropter ſaepiſſime Hordeolum etiam in comitatu eſt blepharophthalmiae ſcrophuloſae et impetiginoſae. Habes tunc cum inflammatione palpebrarum internarum univerſali ſimul etiam localem conjunctam, ut in inflammato palpebrarum limbo etiam unus aut plura adſint loca magis rubentia, cum tumore conjuncta, eoque modo hordeoli exhibentia morbum. Quam hordeoli formam complicatam in libello de ophthalmia ſcrophuloſa jam expoſuimus.

Attamen hordeolum etiam in hominibus occurrit, alias ſano corpore praeditis. Interdum tunc catarrhalis ſeu rheumatica latet cauſa, glandulas palpebrarum tali modo adficiens, ut una tantum vel altera ipſarum morbi in ſe ſuſcipiat vehementiam et ita hordeoli formam exhibeat primarii. De quo quidem nunc nobis ſermo erit.

§. 100.

Decurſus ejus talis reperitur. In certo limbi palpebrarum loco, qui quidem plerumque uni alterive oculi angulo propior reperitur, pruritum ſentimus, qui magis magisque augetur, praeſertim, ſi digito teratur oculus adfectus. Rubor ſimul adeſt in iſto loco. Mox pruriens iſte ſenſus in dolorem abit lancinantem, flagrantem, locusque rubens tumore magis minusve inſigni, circumſcripto atque coni formam exhibente exſurgit.

Quae ſi per aliquod temporis ſpatium continuata fuerint, ſub feliciori morbi progreſſu et ſub ſymptomatum ejus augmento ſecundum accedit ſtadium, extinctionem tumoris per ſuppurationem adducens. Tenſio tumoris atque ipſius ardor imminuuntur, et rubor ejus magis in badium aut lividum abire ſolet colorem, ita quidem, ut in apice coni albida ſeu flaveſcens macula appa-

reat, quae primum ſuppurationis exhibet ſignum. Mox abſceſſus in media hordeoli parte ſubortus rumpitur, et puris copia evacuatur, quo facto tumor ipſe collapſus pedetentim evanescit.

§. 101.

Quando autem hordeolum ſecundo in ſtadio male fuerit tractatum, aqua frigida ſaepius lavatum, emplaſtris irritantibus tactum, vel alio modo incitamentis ineptis aucta inflammationis vehementia ſuppurationis progreſſus ſit impeditus, — aut quando tale quid imprimis in aegrotis ad indurationem pronis, e. g. ſcrophuloſis locum habuerit, — ſaepius ſuppuratio aut penitus ſupprimitur, aut abſceſſu jam rupto tumoris forma remanet priſtina aut adeo citius augetur. Inflammationis ſimul ſigna pedetentim pereunt, et tumoris ambitum dein videmus induratum, ſcirrhoſum, quod Ophthalmiatri tunc non amplius hordeolum vocant, ſed Chalazion. Non ſemper chalazia in ipſo palpebrarum limbo, ſed interdum magis ad exteriorem, interdum etiam ad internam pergunt palpebrarum paginam, ita quidem, ut ſemper tarſo proximus reperiatur tumor.

§. 102.

Ipſum chalazii parenchyma diverſae reperitur naturae. Exterior ejus pars ſemper duriſſima eſt, et veram ſcirrhi exhibet naturam, — interior vero ſaepius mollior aut etiam caſeata, vel adeo naturae purulentae atque ſemper flavida conſpicitur. —

Quo quidem phaenomeno adducti quidam putarunt, abſceſſus adeſſe in multis chalaziorum, eorumque originem aut ex ſuppuratione ab ipſo mali initio reſidua, — aut ex uſu vehementiorum incitamentorum, quibus partem induratam per diſcuſſionem extinguere medici ſtuduerant, — derivare ſunt conati. Attamen nondum omni dubio deſtituta videtur haecce clariorum in medica arte virorum ſententia. Videtur mihi potius materia haecce in internis chalazii partibus haerens reliquias exhibere ductus glandulae ad excernendum deſtinati, cujus ambitus ſub ipſo mali

incremento auctus materiei includebat ſebaceae partem. Feliciore hordeoli decurſu primum videmus in hacce interna glandulae regione initium ſuppurationis, in vehementiori autem morbi gradu et in ipſius tranſitu ad indurationem facto reſidua manebat haecce glandulae foveola cum materia purulenta ibidem detenta, quae ob vim lymphaticorum vaſorum in toto tumore turbatam abſorberi non poterat, — et quae inſtituta chalazii ſectione ſaepius abſceſſus veri atque ſinceri exhibere ſolet adſpectum.

§. 103.

Quod quidem prognoſin attinet in hordeolo exhibendam, ea quidem diverſa reperitur ex ſede et natura ipſius, et ex corporis conſtitutione homini eodem affecto propria. Periculi expers eſt in quolibet alio limbi palpebrarum loco, ſi non, uti interdum fit, ipſum puncti obtinuit lacrymalis locum. Etenim tunc, niſi citius ſuppuratione tollatur, ſemper puncti ipſius concretio, atque dacryoſtagia inde ſuborta inſanabilis atque perpetua ab iſto efficiuntur hordeolo. — Felicior praeterea mali ſanatio procedit, ſi hordeolum recens ſuppuratione tolli poteſt, nec in chalazion abiit. Poſterius enim, niſi admodum parvum fuerit, operatione tantum ſanatur. Interdum minora chalazia, ſuppuratione, artis ope excitata, extingui, aut etiam ſolo incitamentorum localium uſu absque ſuppuratione diſcuti videmus. Attamen tale chalazion ſemper longius curae tempus, et majorem et aegri patientiam et medici curam requirit. — Chalazion praeterea feliciori eventu poterit ſanari, tumore cuti tarſoque eo modo impoſito, ut ſine magno labore ſectionis ope amoveri poſſit, nec tarſi laeſio ſemper periculoſa timenda ſit. — Denique etiam fauſta praedicere licet, aegrum ſi habueris diatheſeos ſcrophuloſae expertem. Etenim cum morbus ſcrophularis ſingulari gaudeat partium inflammatarum ad indurationem proclivitate, inde etiam concludi poterit hordeoli in chalazion tranſitum ſaepius in ſcrophuloſis ob[illegible]ri.

§. 104.

Quod curam attinet hordeoli genuini, ea quidem omnis in eo posita erit, ut suppuratio ipsius tali modo promoveatur, quo perfectam expectare licet tumoris extinctionem. — Primum quidem stadium, quod forte inflammationis discussionem admitteret, nimis cito praeterire solet, ut adeo medicus semper fere secundi observet stadii initia, quae quidem indicationem hancce proponunt, ut decursus stadii secundi, quod suppuratione cognoscitur, citius valeat transire.

Quod quidem simplici emollientium usu peragitur. Qualia sunt cataplasmata ex simila, croco et lacte parata et palpebris affectis imposita, vel etiam lactis cum pauxillo croci mixti usus, si penicillo per illud irrigata tumoris ambitus et limbus palpebrarum saepius tangatur. Quibus omnibus pergendum erit, donec abscessus in hordeolo tali ratione subortus rumpatur, et donec tumor totus suppuratione fuerit extinctus. Naturae dein ipsi abscessus in limbi palpebrarum conspicui sanatio feliciori cum successu permittatur.

§. 105.

Quando autem inflammatione minus recte continuata hordeolum in chalazion abierit, alia ratione sanatio mali procedat. Tumor vel in hordeolum denuo mutetur, ut suppuratione extinctionem ejus peragamus, vel manu chirurgica amoveatur.

Primum quidem vel inunctione cum incitamentis gravioribus facta vel etiam lapis infernalis usu peragendum erit. Locum inprimis methodus habebit laudata, chalazion si parvum, nec profunde situm apparet. Inunctiones ex solutione lapidis infernalis in aqua destillata facta, vel ex aethere vitrioli cum pauxillo tincturae Cantharidum mixto optime instituendae erunt.

Effectus feliciores inunctionum, saepius singulo die repetitarum tales sunt. Semper fere suppuratio chalazii atque vicinarum partium excitari solet, qua contiunata tumor ipse ex-

tinguitur. Attamén fuppuratione orta ab omni inunctione penitus abftinendum erit et fola applicentur emollientia, ut ita hordeoli genuini inftar hoc malum curetur.

§. 106.

Interdum vero etiam absque fuppuratione chalazii per inunctiones laudatas obfervamus extinctionem. Quo in cafu remedium agere videtur non per inflammationem, quae fuppurationem conftituebat, excitatam, fed per auctam vaforum abforbentium actionem, atque vim vitalem partis induratae majorem ad gradum elatam. — Talis chalazii fanatio imprimis locum habebit tumore non pone cutem, fed paullo profundius pofito, atque inunctionibus minore cum vehementia partem adficientibus. Quapropter etiam hancce obfervabis quando externam tantum palpebrae cutim aethere atque tinctura Cantharidum inungis, id quod aetheris alias noxia in bulbum actio requirere videtur. — Praeterea etiam fingularis talem ad exitum requiritur partis induratae conftitutio, cum functiones vitales, uti vulgo appellantur, in tumore minus oppreffae nec penitus deletae reperiantur.

§. 107.

Lapidis infernalis applicatio in interna praefertim admittatur palpebrarum fuperficie, chalazio ibidem cuti viciniore. Confueto more locum habeat. Palpebrae fuperficie interna a bulbo oculi paullulum remota, pars adfecta lapide tangatur, et ftatim poftea lacte vel aqua tepida per fyphonem acta particulae lapidis eluantur, ne oculus ipforum ope inflammatus doleat. — Quibuscum omnibus pergendum erit, donec fuppuratione extinctum fuerit chalazion.

§. 108.

Quando autem chalazion nimis magnum fuerit, ad ipfam ejus extinctionem chirurgica manu peragendam medicus acce-

dat. Quae quidem ante omnia ſummam medici cautionem requirit, ne in operatione cultello tarſus laedatur. Alias enim ejus membranae inflammatio multis incommodis cincta inevitabilis eſſet ejusdem agendi rationis effectus. Qua propter in chalazio exſcindendo manu cautiſſima chirurgus utatur, et ſi tarſum habuerit nimis vicinum aut adeo cum chalazio plus minusve concretum, — ipſum tumorem non penitus cultello ſeparet, ſed ſubjacentem potius tarſoque proximam ejus particulam ex parte relinquat, ut deinde ſuppuratione atque irritantibus medicamentis perfecta peragatur ſanatio.

§. 109.

Agendi methodum quod attinet, tali in operatione neceſſariam, ea diverſa erit ex vario cujuslibet tumoris ſitu atque ratione, ut ita aptiſſimus quisque chirurgus cuilibet caſui adoptatam exhibeat ſectionis rationem. Chalazion ſi habueris arcte ſub cute poſitum, uti plerumque reperitur, nec cum tarſo concretum, optima ratione aget medicus ſi cute ſuperjacente digitis intenſa leviore iſtam aperit inciſione, ut ita chalazion ipſos occupet vulneris margines. Quo deinde unco capto, facillime cultelli ope enucleatur.

Operatione dein peracta, vulnus aut ipſi committatur naturae ſanandum, — aut, ſi libuerit, aqua ſaepius eluatur ophthalmica cum aqua vegetominerali Goulardi et aqua vulneraria Thedenii parata. Quae perfecta mox partis antea afectae ſubſequetur ſanatio.

LIBER QUINTUS.

De ſacci lacrymalis inflammatione.

§. 110.

Deſcribendum nunc nobis erit inflammationum genus, quod

per ſe licet non tanti habitum ſit, in ſuis tamen effectibus tam varie deſcriptum atque ventilatum reperitur, ut medici ſacco lacrymali plus attentionis et multo majorem ei curando laborem impendiſſe videantur, quam ipſi oculo perſaepe ab ipſis aut neglecto aut male tractato. — Quamquam igitur hiſtoria doctrinae de ſacci lacrymalis morbis propoſitae multa emendanda recentiori tempori fuiſſe relicta nos doceat, ab antiquiori tamen aevo ad noſtra usque tempora medici in perpetua methodi, qua in curandis illius partis morbis utendum ſit, emendatione verſati nobis omnibus ſummum ipſorum ſtudium monſtrant in doctrinae emendatione occupatum, quod, licet perſaepe ob viae quam ingreſſi erant importunitatem effectu deſtitutum fuerit, — ob laborem ſaltem aſſiduum laudari meretur.

§. 111.

Cum non meum ſit in hocce capite omnium hiſtoriam proponere, quae in ſacci lacrymalis morbis ex inflammatione ipſius pendentibus inventa atque propoſita fuerunt, — praeſertim cum libellum jam ſingularem et perutilem Metzgeri hunc in uſum conſcriptum habeamus, — in eo tantum adquieſcam ut inflammationis et morborum ſacci inde pendentium certam et uberiorem exhibeam diagnoſin et medendi methodum cuivis malo aptatam. De morbis organorum lacrymalium ſingulari immortalis Schmidtii libello omnia fere tam eximie dicta atque propoſita ſunt, ut, quod diagnoſin attinet, hunc ſolum ſequi cogar, et tantummodo in iis paullulum ab ipſo recedere velim, quae ipſam ſpectant ſanandi rationem, cum praeceptore atque experientia duce de contrariis ſaepe certior ſim factus. — Quantopere autem haec omnia ab iis diſcrepent, quae antiquior nobis aetas exhibuit, ex brevi eorum, quae mox a me dicenda ſunt, diſquiſitione apparebit.

§. 112.

Saccus lacrymalis cum ductu naſali membrana gaudet in

interiore ſuperficie, quae tela denſiore cincta, ipſum proprie organon conſtituit. Quod oſſeis undique partibus circumdatum illud tantummodo anterius ſacci latus integrum atque ab oſſe intactum relinquit, quod angulo oculi interno vicinum ab ipſis orbicularis palpebrarum fibris obtegitur. Inferior in ductu naſali finis plica membranae inſtructus reperitur, quae ſi craſſitie et ambitu aucta fuerit aut ſpasmo adfecta eorum impedit exitum, quae in ſacci ductusque ſpatio contenta in nares exitura erant. Fibras praeterea vi contrahendi inſtructas ipſi ſacco aut ſaltem ductui ineſſe varia monſtrant phaenomena ex ſpaſticae tantum contractionis praeſentia explicanda. Tota denique interior illius partis ſuperficies membranam nobis exhibet mucoſam iſti perſimilem, quae et internam palpebrarum ſuperficiem et cavum naſi replet et cum hisce arctiſſima copulatione conjuncta ipſorum morborum facillime particeps reperitur.

§. 113.

Quae omnia nobis ſymptomata reddent clariora, in qualibet ſacci et ductus naſalis inflammatione conſpicua. Quae phaenomenis cognoſcenda omni membranae mucoſae propriis, modo in leviori gradu auctam ipſius membranae ſecretionem, modo, ſi major adeſt mali vehementia et ſenſibilitas una eſt adfecta, ipſius functionis per aliquod tempus oppreſſionem, ſuppreſſa denique inflammatione modo auctam illius partis ſecretionem per ſatis longum temporis ſpatium continuatam oſtendunt. Saepe ſuppuratio atque abſceſſus in loco quodam ex inflammatione ſuboritur et fiſtulam hac ratione exhibet lacrymalem, ſi praeſertim inferior atque anguſtior canalis pars exſudationibus fibroſis atque lymphaticis concrevit, et ita lacrymarum mucique ſecreti in nares tranſitum impedire coepit. Interdum ipſa ductus atque ſacci membrana turgere incipit, eoque modo foramen canalis aut anguſtius reddit aut penitus obſtruere ſolet; quod ſymptoma in inferiore praeſertim organi parte circa turgidam plicam facillime canalem occludit, et ſub hydropis ſacci lacry-

malis nomine celebratur. — Denique non raro in aegrotis ad haecce omnia dispositis spasmodicae accedere possunt partis contractiones, materiei absorptae atque secretae transitum per tempus quoddam impedientes.

Praeterea etiam alia vitia partis illius organica ex inflammatione ipsius originem trahere solent. Modo superficie ipsius exulcerata uti in aegris ad haecce dispositis ex suppuratione orta persaepe observare licet, — cariem deteges in una alterave ossium canalem circumdantium parte; modo tela canalem constituens et ipsius integumenta repetita inflammatione tantopere relaxantur, ut ea in parte, qua ossibus non inclusus est saccus, ab iis, quae continet, magis minusve extendatur, atque mali exhibeat formam, sub herniae sacci lacrymalis nomine descriptam.

§. 114.

Morbi denique universales in corpore locum habentes decursum inflammationis sacci lacrymalis seu dacryocystitidis, uti vocatur, varia ratione immutare atque ad phaenomena ex inflammatione residua disponere solent. Omnium frequentissima causa ex labe catarrhali eaque universali originem ducere solet. Leve tamen atque facile amovendum videbis malum, si modo homines alias sani rectam sanationem admittunt. Plerumque secretione aucta seu blennorhoea sacci lacrymalis, uti eam vocant, finitur, et in vehementi tantum malo partis suppuratio cum fistula aut concretione canalis accedere valebit. Graviorem vero et sanatu difficiliorem invenies morbum, quando tali morbo ii fuerunt correpti, qui scrophulosi habentur aut variolis paullo ante laboraverant. Etenim exitus mali tristiores non solum citius accedent, verum etiam morbus, quando feliciorem habet exitum et solam blennorrhoeam relinquit, — hancce posteriorem tamen graviorem reddit, quae persaepe omnem eludit medici curam, et repetitam simul dacryocystitidem excitare valebit. — Caries ossium saccum vestientium, si in scrophulosis aut a variolarum

morbo ſanatione minus fauſta liberatis accedit, perſaepe vix erit ſananda. Alia contra mali ratio erit, morbum ſi reperies ex malo francogallico pendentem. Ex vicino palato per nares ſine dubio inflammatio atque ulcera tali in caſu ad ſaccum lacrymalem propagantur. Mercurialium uſus haecce phaenomena, ſicut etiam tumorem et cariem oſſium, — reliquus aegri ſtatus ſi ſanationem admiſerit, — feliciter extinguet. Rariores denique ſunt et facilius ſanandae morbi commixtiones cum pſora et cum iſto ſtatu ſcrophulari, qui ex variis exanthematibus praegreſſis ſolet pendere. Haec de dacryocyſtitidis cum univerſali morbo commixtione.

§. 115.

Decurſus dacrocyſtitidis varius reperitur ex ratione aegroti ſtatuque ſacci lacrymalis antea vel ſano vel ex priſtina inflammatione depravato. Symptomata coryzae plerumque initium mali comitantur, mucus tenuis et acrior ex naribus effluit, et dolor levior pungens et recto tempore recurrens regionem occupat intra angulum oculi internum atque nares. Glandulae una meibomianae ex parte rubent, limbus palpebrarum tumorem licet leviorem oſtendit, et lacrymarum vehementius adeſt profluvium, eaque in regione, ubi palpebra inferior ſaccum tangit lacrymalem oedema conſpicitur telae celluloſae ad genas usque ſeſe extendens. Si ſaccum lacrymalem digito preſſeris, mucus per puncta lacrymalia flavidus et lacrymis abſorptis permixtus exit.

§. 116.

Mucus majore copia ſecretus et in ſacco detentus non amplius in anguſto ſacci ſpatio contineri valet, cum membrana mucoſa per ſe jam ex inflammatione turgeat, et oſtium ductus tali ratione ſoleat anguſtare, ut anguſtiſſima pars praeſertim in regione plicae penitus occluſa reperiatur. Ex parte adhuc per puncta lacrymalia exprimi poteſt. Attamen, quando canaliculi

quoque cum punctis morbo pedetentim corripiuntur, etiam hoc cessat sub ipso mali incremento et materies in sacco secreta in illo etiam cogitur remanere. Accumulatur nunc ea in parte, qua summam habuerit spatii amplitudinem, id est in regione anguli palpebrarum interni, ubi saccus non osse sed membrana tantum, tela cellulosa atque musculo palpebrarum orbiculari obtectus est, ideoque ex parte potest extendi. Tumor sacci multo magis inde augetur. Ad fabae magnitudinem accrescit et in oedemate superimposito et digito et oculis facillime detegendus erit. Absorptio lacrymarum tunc penitus oppressa reperitur, et dacryostagia multo vehementior, quam sub ipso adfuerat morbi initio, poterit persentiri.

§. 117.

Haec dacryocystitidis merae atque genuinae est imago. Quando leviori in gradu adest atque decrescit, symptomata desinunt coryzae, dolor in regione sacci evanescit, inflammationis symptomata cessant, quae in palpebrarum limbo aderant atque tumor sacci cum oedemate illum obtegente pedetentim minuitur. Remanebunt tamen per tempus plus minusve insigne symptomata blennorrhoeae sacci lacrymalis, quae paullo post uberius exponenda erunt.

Quando vero mali major adest vehementia, morbumque deprehendes in aegro per se debiliore, scrophuloso aut antea jam dacryocystitide affecto, — non tam cito tamque felici amovetur eventu. Secretio in interna sacci pagina aucta adest, cum insigniore membranae mucosae tumore, qui in scrophulosis praesertim tantus est, ut sacci sectione facta singulos in ipso acinos detegere queas, ex glandularum membranae mucosarum tumore pendentes, atque summa inde muci accumulatio cum mechanica sacci extensione juncta inflammationis ipsius augeat vehementiam, quae exinde tanta est, ut mali exitus alias in membranarum mucosarum inflammatione rarissimus, suppurationis nempe origo abscessum efformans conspiciatur. Qui quidem minus recte sa-

natus et cum ductus lacrymalis occlusione junctus mox in ipsam fistulam degenerat lacrymalem.

§. 118.

Tumor sacci tunc certiores adipiscitur limites, obscuriore rubore incipit distingui, et dolor flagrans atque cum crebra palpitatione conjunctus animadvertitur. Tumor ipse versus mediam partem acuminatur cum punctulo albente in extrema ipsius superficie, quae puris definire solet primam originem. — Aut in casu rariori et minus fausto tumor in inferiore conspicitur palpebra cum duritie profunde latente, et puris punctulum in ipsa sacci deest superficie. Suppurationis origo tunc non in sacci anterioris superficie locum habuit, sed in profundiore telae parte, ut ita, pus intra palpebram inferiorem atque bulbum haerere incipiat. Nisi sectione in tempore facta puris maturetur evacuatio, etiam ulterius incipit extendi, intra ipsam bulbi effunditur conjunctivam motumque oculi incipit impedire.

Quodsi abscessus versus exteriora tendens aperietur, pus cum muco atque lacrymis effunditur, quando abscessus ad interiorem usque sacci penetraverit superficiem. Qua evacuatione peracta tumor genae atque palpebrarum evanescit, durities atque rubor in sacci superficie extinguitur et inflammationis in interno sacco phaenomena simul perire incipiunt. Quodsi etiam ostium ductus nasalis una apertum fuerit, quod sub inflammationis extinctione persaepe accidit, nisi continuata inflammatione vera jam ipsius locum habuerit concretio, — etiam abscessus sacci rite sanabitur, nec in fistulosum poterit abire ulcus.

§. 119.

Fistulae lacrymalis originem semper tunc observabis, quando nasalis ductus eo modo occlusus reperitur, ut fluida in sacco detenta per ductum in nares exire nequeant. Quod vel ex vera ductus concretione, vel ex interioris membranae tam grandi pendet tumore, ut omne ipsius lumen occludatur. — Fluida in

ſacco retenta exitum quaerunt, ipſumque in abſceſſu inveniunt ex ſacco ad externam genarum ſuperficiem penetrante. Perpetua fluidi deſtillatione ipſius ſacci ſanatio impedita eſt, et ſub hisce demum conditionibus fiſtulae lacrymalis originem obſervabis. Cujus quidem oſtium externum incertum eſt. Modo e regione ſacci adeſt, modo in multo inferiore genarum parte, ut ita fiſtula per ſatis largum penetret telae celluloſae ſpatium. Fiſtula continuata anterior ſimul ſacci paries paullulum tumet et fiſtulae oſtium perſaepe tam minutum eſt, ut vix una alterave lacrymarum guttula valeat penetrare.

§. 120.

Alia contra morbi ratio erit, fiſtulae ſi una ſacci interioris exulceratio atque oſſium ſubjacentium caries adjungitur. Locum habet in ſcrophuloſis praeſertim, rachiticis atque venereis. Cognoſcitur ex morbi univerſalis praeſentia, ex puris ichoroſi per fiſtulam effluvio, et livido colore laxaque fiſtulae atque cutis circa fiſtulam ſtructura, et ex ſondae per fiſtulam immiſſae tactu ad os carie adfectum facto, quod ſuperficiem aſperam prodit atque duriorem.

§. 121.

Denique étiam ex dacryocyſtitide ſemper morbus remanebit, qui ſub blennorrhoeae ſacci lacrymalis nomine inter nos innotuit, et qui eodem modo ſacci comitatur inflammationem, quo blennorrhoea urethrae ipſam excipit atque comitatur hujus partis inflammationem. — Locum habet in leviori ſacci inflammatione, cujus quidem ſummum atque unicum fere ſymptoma reperitur, excipit praeterea gravius malum, quando ſecretio membranae ſub initio ſuppreſſa pedetentim inſtaurata fuit, abſceſſum porro atque fiſtulam ſacci, ſicuti et cariem in oſſibus ſubjacentibus ortam comitatur, et ſublatis hisce omnibus malis per tempus plus minusve inſigne remanet, aut etiam penitus inſanabilis aegros per totam vitam divexat. — Cognoſcitur ex muci magis

minusve purulenti cum lacrymis mixti effluvio, per puncta lacrymalia certo tempore recurrente et ex multo majore ipſius copia per eosdem canales effluente, ſi digito ſaccum certo temporis ſpatio comprimere volueris. Siccitatem narium in latere affecto tunc temporis demum obſervabis, ſi membranae interioris atque turgidae tumore aut vera canalis concretione ductus naſalis eo modo clauſus fuerit, ut fluida in nares non amplius penetrare poſſint. Tumor denique in ſacci lacrymalis regione et ipſa ſacci hernia tunc demum obſervabitur, ſi et clauſus fuerit ductus et ipſa ſacci hernia exinde et ex atonia ſacci atque musculi orbicularis originem duxerit.

§. 122.

De hernia vero nobis dicendum erit in morborum enumeratione qui ipſam comitari aut excipere ſolent ſacci lacrymalis inflammationem. Oritur ex ſacci diſtentione ea in regione facta ubi anterior ejus pars oſſibus non obtecta quandam admittere poteſt dilatationem. Ipſa vero dilatatio ex diſtentione ſacci per fluida ibi contenta per mucum atque lacrymas facta exoritur. Minor talis diſtentionis gradus in ipſa jam dacryocyſtitide locum habebit, ſi gravior fuerit, et cum ipſa ductus occluſione conjuncta. Verum herniae notio omnem reſpuere videtur inflammationis praeſentiam, — cum contra chronicum morbi genus cum ipſa ſacci atonia junctum tale vitium comitetur organicum hocce nomine deſcriptum, — ideoque hernia non una cum dacryocyſtitide adeſſe poſſit. Puto igitur herniam ſacci lacrymalis ſemper absque vera abeſſe dacryocyſtitide, ita tamen, ut ſemper blennorrhoea ſacci adſit, quae muci ſecreti copia primam exhibet morbi cauſam. Altera nititur in ipſa ſacci atonia cum illius ſeſe contrahendi facultatis amiſſione conjuncta. Quo magis igitur iſta periit, eo minus fluida ibidem contenta per naſi ductum absque vi externa depelli poſſunt, ideoque in ipſo ſacci ſpatio coagmentantur, nec digito expreſſa ipſius anteriorem ſuperficiem magis minusve extendunt. Hactenus de mera ſacci hernia, quae

omnis alius vitii organici expers fluidorum tamen admittit expresſionem digito peragendam. Alia contra mali ratio erit, ſi cum ſacci lacrymalis hydrope conjunctum reperitur. Tunc chronicum membranae ſacci interioris tumorem oriri animadvertes, qui inferiorem ductum obſtruens tranſitum fluidorum impedire valebit. Remanebit inde et major extenſio ſacci et gravior erit mali ſanatio et facilior ipſius novae inflammationis origo.

§. 123.

Haec de dacryocyſtitide et omnibus malis ex ipſa originem ducentibus, ut eo certior ipſorum evaderet diagnoſis, — erant nobis dicenda. Exinde etiam faciliorem prognoſin habebis. Dacryocyſtitis facilius ſanabitur, ſi nondum vitia produxit organica et nondum repetitis vicibus recurrens intactam quaſi et integram adgreſſa eſt partem. Magis fauſta porro prognoſi uti licet, morbus ſi in aegroto adparuerit nec ſcrophuloſo nec arthritico nec venereo. In ſcrophuloſis, ad quos etiam omnes ii pertinent, qui ex praegreſſis exanthematibus debilitate ſyſtematis praeſertim lymphatici, atque membranarum mucoſarum depravatione laborant, — ſemper fere morbus in diuturnam abibit blennorrhoeam ſacci lacrymalis, in ipſius membranae interioris tumorem ſeu hydropem, et facillime ipſius maturabitur dacryocyſtitidis recurſus, qui multo citius vitia organica adducet. In arthriticis multo citiorem mali decurſum, multo majorem ipſius inflammationis vehementiam, atque faciliorem inde vitii organici originem habebis. In venereis denique, praeſertim ſi ulceribus faucium atque narium laboraverint, perfacile oſſium naſi ductum contegentium caries exorietur.

§. 124.

Quod denique vitia attinet organica ex dacryocyſtitide originem ducentia, iſta, licet prognoſin ſemper pejorem, natura ſua tamen admodum diverſam exigunt. Abſceſſus ſacci lacrymalis per ſe non admodum periculoſus erit, ſi modo naſi ductus man-

ſerit apertus neque mali vehementia morbo corporis univerſali fuerit adducta. Quae ſi adfuerint, etiam ipſius ſiſtulae lacrymalis originem maturabunt.

§. 125.

Ductus naſalis occluſio ex duplici cauſa pendet, et duplicem quoque prognoſin exinde habebis. Membranae turgor ſi ipſi tantum occaſionem praebuerit, malum ſi recte ſanatur, plane poteſt extingui et inde prognoſin obſervabis laetiorem. Quando autem vera ductus concretio ex fibra lymphaque exſudata locum habuerit, nunquam ſperandum erit, ut lacrymarum tranſitus ulla ratione reſtituatur. Etenim hac ipſa concretione membranae ſacci inferioris ſtructura et contrahendi facultas ſic alienata atque extincta reperitur, ut nunquam integra reſtitui poſſit, ſi vel canalis ſat magnus ex ſacco in nares traducatur. Canalis quidem adeſt, nec tamen lacrymae per ipſum deflure valent.

§. 126.

Quod attinet cariem oſſis unguis atque vicinorum oſſium, ea per ſe tam gravem exhibet ſacci ductusque parietum deſtructionem, ut, licet caries ſanetur, tamen ſacci ductusque integritas plane turbata ſit, neque lacrymarum tranſitum ullo modo reſtituere poſſis. Eadem locum habebunt, ſi ex operatione iſta varie ventilata, qua novum ex ſacco oſtium per os unguis perforatum in nares inſtrumento ſub concha ſuperiore aperitur, tranſitum lacrymarum ex ſacco in nares ſperare velis. Si vel oſtium tali ratione fuerit inflictum, ut concretio ipſius neutiquam ſuboriatur, tranſitus tamen lacrymarum nulla ratione poterit promoveri, cum vera deſit vis canalis contractiva ad lacrymarum tranſitum perneceſſaria, ideoque fluida in ſacco collecta perſaepe oculum ipſum ſoleant irrigare.

§. 127.

De blennorrhoea ſacci lacrymalis prognoſis tunc demum

enuntianda erit, si aegri corpus morbique caufas atque tempus diuturnum fueris contemplatus. Ex dacryocyftitide leviore et recens praegreffa in aegro alias fano blennorrhoea remanebit fanatu facillima. Quando vero homo fcrophulofus et dacryocyftitis vehementior adfuit, cum variolis, morbillis etc. copulata, quando malum porro repetita vice rediit, — aut blennorrhoea denique ipfa per fatis longum temporis fpatium fuit continuata, vix cita fanatio erit fperanda, cum adeo malum interdum infanabile deprehendatur. Certa in vitae humanae decurfu temporis momenta incidunt, quando totius quafi corporis actio atque temperies immutari folet, — et haec interdum extinguunt facci lacrymalis blennorrhoeam, quae alias omni quafi reftiterat curandi methodo. Sic in pueris pubertatis aetas, et deinde prima matrimonii tempora, — et in virginibus menftrui fluxus initium vel primum puerperium morbum perfaepe atrociffimum infringunt. Quando autem ab his nihil peractum fuerit, ad mortem usque malum ita perdurabit, ut perfaepe ipfius inde pendeat dacryocyftitidis reditus cum omni alio fymptomate originem exinde ducente. Omnis caufa, fimplici alias febri catarrhali atque catarrho praebens occafionem, in tali aegro partem occupabit debiliorem et exinde ipfius cognofces dacryocyftitidis vehementioris atque multo periculofioris originem.

§. 128.

Quod denique hydropem atque herniam facci lacrymalis attinet, — ifta mala, fi cura recte inftituatur, perfaepe prognofin laetiorem admittunt. Attamen hydrops fanatu difficilior erit, fi morbus ex repetita derivatur facci inflammatione, et fi aegrotus fcrophulofis adnumerandus et ad paftofam materiei animalis degenerationem pronus majorem ipfius mali vehementiam producet.

§. 129.

Largior hujus inflammationis et effectuum inde ortorum aetiologia vix exhibenda erit. Praecipua caufa pofita eft in mem-

branarum mucofarum per morbum catarrhalem adfectione, quae in membrana Schneideri coryzam producens etiam membranam adficere valet faccum veftientem et arctiffime cum illa narium conjunctam. Morbi praeterea exanthematici reperiuntur, fingulari efficacia et in membranas mucofas et in faccum lacrymalem confpicui ideoque facci lacrymalis inflammationem perfaepe producentes. Quales funt variolae praefertim, uti etiam morbilli, fcarlatina, etc. Denique etiam chronica mala, membranam narium aut alias quoque adficientia, uti morbus francogallicus dacryocyftitidi interdum occafionem folent praebere. Quae quidem momenta aetiologiam fpectantia ex anamnefi optime detegi poterunt. — Quid? quod etiam infantum et puerorum corpus atque foeminae hoc morbo faepius folent corripi. Sine dubio major organi lacrymalis irritabilitas, frequentior lacrymatio et lacrymarum per faccum tranfitus tali in cafu quandam ad morbum proclivitatem relinquere poterant, quae ipfi dacryocyftitidi facilius praebebat originem. Nifi faccus jam morbo praegreffo debilitatus, aut membranae mucofae morbo univerfali depravatae fuerunt, vix corpus virile et robuftum dacryocyftitidis exhibebit adfpectum.

§. 130.

De cura dacryocyftitidis et vitiorum ex ipfa originem ducentium nunc nobis agendum erit. Dacryocyftitidis merae nec cum vitio organico junctae fanatio facilior reperitur. Caufae amoveantur et morbi malum comitantis, fi una adfuerit, fanatio fimul inftituatur. Variolae, morbilli, fcarlatina lege artis tractandae funt, caufa catarrhalis irritamenta pofcit in cutem agentia, morboque in arthritico, fcrophulofo, aut fiphilitico accedente ratio fimul morbi univerfalis habeatur.

Prima morbi vehementia praefente et morbo nondum per fecretionem abnormem finito ufum praeftabit et hirudinum adplicatio ad faccum facta et aquae frigidae per nares adtractio. Sanguinis evacuatione peracta etiam caloris ficci per linteolum

aut ſacculos farina refertos ad regionem ſacci admotio mali reliquias extinguet. Nec unguenti neapolitani inunctio in ſacci lacrymalis regione ſemel aut bis in die absque utilitate peragetur. — Ut denique diſpoſitio iſta ad blennorrhoeam diuturnam ex dacryocyſtitide orta evaneſcat, in ſcrophuloſis aut in iis, qui exanthemate laborant et frequens conducet balnei et cautus mercurialium uſus. Attamen balneum tunc demum adhibendum erit, quando et univerſi corporis ſtatus illud admittit, et ipſius dacryocyſtitidis maxima jam evanuit vehementia.

§. 131.

Secundo morbi ſtadio jam animadverſo, adſtringente uti licet medicamento, et ſolutione lapidis divini aut aqua aluminata vel vitriolata, — attamen omnia haecce multo cum Laudano mixta ſunto, de cujus eximio in extinctione blennorrhoeae cujusvis uſu largior jam experientia nos reddidit certiores. — Solutionis iſtius adſtringentis aliquot guttulae omni quarta aut dimidia horae parte ex pennae calamo aut ex anguſtiore lagenulae minutiſſimae oſtio in angulum oculi internum immittantur. Reclinatus ſimul jaceat aegrotus et tamdiu in eodem remaneat ſitu, donec guttulae per puncta lacrymalia fuerint abſorptae. — Neceſſario tamen ante ipſam aquae immiſſionem ſaccus digito exprimatur, donec major ex ipſius cavo abierit muci purulenti copia. Etenim medicamentum in parietem ſacci muco ſuperſtite aut plane non, aut minore tantum efficacia agere valebit.

§. 132.

Quibus omnibus Dacryocyſtitis feliciori in caſu ſanabitur. Attamen curationis exitus non ſemper tam fauſtus apparebit. Morbi ipſius vehementia, ſacci debilioris natura et ſtatus aegroti corporis virium expertis aut univerſali malo adfecti tranſitum inflammationis ad morbum organicum, maturabit, cujus differentia etiam diverſam medendi exigit rationem.

Exorto abſceſſu non tam cito ad ſacci ſectionem et ſic dictam fiſtulae lacrymalis operationem nobis tranſeundum erit. Quando una nares lateris affecti madeſcunt, nec amplius ſiccitate inſignes conſpiciuntur, certe ductus lacrymalis adhuc eſt integer, nec opus erit cultello. Frequentior tantum aquae tepidae copia naribus immittenda eſt, ut ea oſtium canalis lacrymalis eluatur, eaque ratione uberior maturetur muci atque lacrymarum tranſitus. Naribus demum ſiccitatem continuam exhibentibus jure ad ipſam tranſire licet operationem.

Abſceſſus origo cognoſcitur etiam dolore flagrante et palpitante, tumore in angulo interno minore et arcte circumſcripto, obſcuriore atque livido fere rubore, et punctulo albente in medio tumore conſpicuo, quod pus fluctuans oſtendit. — Aut ſicuti Schmidtius ex uberiore recte adnotavit experientiae copia, — in caſu rariore pus ad palpebram inferiorem delatum conſpicitur. Cujus quidem jam §pho 118. mentio fuit injecta.

§. 133.

Primis jam ſuppurationis indiciis in aegroto exortis cataplasmata calida et emollientia cum mica panis albi, lacte et croco parata ſacco imponantur, donec abſceſſus fuerit ruptus aut donec eo etiam res pervenerit, ut abſceſſus lanceola parva aperiatur. — Plerumque tali in caſu ſaccus abſceſſu nondum perforatus eſt, nec ipſius indiget perforatione. Vulnus naturae ſanandum relinquatur, et temporis ſucceſſu ſimplici tantum emplaſtro adhaeſivo anglico maneat obtectum, donec plane coaluerit. —

Rariore vero ſuppurationis exitu accedente, quando nempe pus ad ipſam tendit palpebram inferiorem, cataplasmata quidem emollientia ſimili ratione loco affecto imponantur.

Attamen maturius fiat ſectio, quam abſceſſus ratio illam admittere videtur. Etenim tunc demum ſperandum erit, ut pus in inderiore tela collectum effluere poſſit. Oſtium praeterea linteoli carpti et convoluti ope apertum maneat, donec omne pus fuerit

effusum, palpebraeque tumor penitus disparuerit. Vulnus tunc demum naturae sanandum committatur.

§. 134.

Quando abscessus ratio ex dacryocystitide talis fuerit, ut mucus purulentus in sacco inflammato detentus una per ostium exeat, eoque emisso tumoris sacci deminutio accedat, morbum conspicio primum quidem fistulae lacrymalis initium exhibentem. Attamen non semper in ipsam transit, si inflammationis vehementia fuerit extincta et nasi ductum ex imminuto membranae ipsius interioris tumore apertum reperire possis, et si siccitas narium una secedere incipiat. Abscessus tunc etiam pedetentim sanabitur. Attamen duritie atque tumore ipsius per tempus quoddam superstite emollientibus opus erit, donec symptomata ista abscessus sanationem impedientia penitus evanuerint. Quo facto non alia cura opus erit, quam ut morbus naturae benignae effectibus committatur. — Interdum, uti Schmidtius adcurate adnotavit, ostium abscessus externum per aliquod tempus apertum servetur, donec interius ipsius ostium penitus fuerit clausum. Quodsi contigerit, id quod ex lacrymarum et muci effluvio extincto cognoscendum erit, ab externo demum abscessus ostio lintei carpti fasciculus amoveatur, quo ostium apertum servabatur.

§. 135.

Alia contra mali ratio erit, si ejusmodi abscessus ex occlusione ductus nasalis in fistulam abiit lacrymalem. Cognoscitur et continuata narium siccitate et effluvio muci et lacrymarum per abscessum non desinente et difficiliore ipsius abscessus sanatione. Operatione fistulae lacrymalis tunc opus erit. Qua demum peracta causa occlusionis ductus nasalis detegenda erit. Quae si in tumore ipsius membranae interioris posita fuerit, poterit sanari. Quando autem vera ductus concretio adfuerit, nulla amplius spes reliqua erit transitum lacrymarum restituendi,

et aegrotus patienter malum ferat, quod infanabilem dacryoftagiam producit. —

§. 136.

Quod fiftulae lacrymalis, uti vocatur, operationem attinet, — ifta fectione facci fuscipiatur. Quae fectio fiat in ifta regione, in qua digiti ante fectionem admoti tactu ipfius facci locum ex mollitie quadam detexeris, et in cujus latere palpebra fuperior inferiori adjungi folet. Sectio fiat paullulum transverfa, ut inferior vulneris extremitas magis ad palpebram tendat, quam fuperior; fimulque cultellus ita dirigatur, ut vulnus, cujus infignis longitudo adeffe debet, verfus fuperiora et inferiora ipfo jam primo ictu dilatetur.

Quod fi peractum fuerit, fedato fanguinis profluvio firmior linteoli carpti conus et in fuperiore parte acuminatus in vulnus immittatur, ut illud totum fere repleat, fimulque parte anteriore ipfum impleat facci cavum. Maneat in vulnere die nocteque et emplaftro adhaefivo in fitu fuo retineatur. Ufus ipfius in eo confiftit, ut vulneris concretio alias tam cito accedens impediatur. — Simul etiam ante immiffionem lintei in vulnus factam aqua mucilaginofa cum Laudano per fyphonem Anellianam in faccum lacrymalem injici poterit.

§. 137.

Primo jam die per virgulam indagatricem (fondam) in faccum immiffam ipfius morbus ex parte inquiratur. Altero vero die virgula indagatrix fic immittenda erit, ut in facco remaneat. Tali autem modo immittenda eft, ut ipfius apex primo lateri facci interno per vulnus imponatur, atque deinde fublato virgulae manubrio ipfius apex ad inferiorem tendat faccum. Attamen hoc vi non agatur aut nimia vehementia, cum alias facci parietes facillime vulnerentur, fed virgula indagatrix intra duos digitos detenta huc illuc rotetur, donec licuerit altius cum ipfa penetrare. Inftrumento fic immiffo, ut non ulterius illo

die immitti possit, simul etiam lintei carpti conus juxta illud vulneri denuo immittatur. Attamen ante virgulae immissionem quolibet die repetitam et ante coni ex linteo parati adplicationem simul aqua laudata per syphonem immittatur, ut eo citius membrana sacci interior, si turgida fuerit ad pristinum reducatur volumen.

§. 138.

Virgula indagatrix quolibet die extrahatur, a muco adhaerente purgetur, et aquae injectione per syphonem facta denuo aut alia paullo crassior ejus loco immittatur. Prima inflammationis vehementia feliciter extincta loco aquae simplicis cum Laudano mixtae solutione lapidis divini cum Laudano parata utendum erit. — Vulnus si interea temporis paullulum magnitudine sua imminutum fuerit, lanceola dilatetur. —

Jam facilius cognosci poterit, utrum obstructio ductus nasalis ex ipso membranae tumore, an ex vera ipsius concretione locum habuerit. Priori in casu virgula indagatrix pedetentim ulterius valet penetrare, et in ipsum nasi ductum transire incipit, praesertim si repetita aquae injectio recte fuerit peracta. Licet tunc ad chordarum transire usum, donec nasi ductus penitus in integrum fuerit restitutus.

§. 139.

Quando sub repetito virgulae indagatricis et injectionum usu eo usque continuata est mali curatio, licet etiam virgulam facile in saccum atque ductum nasalem demergere atque inde extrahere. Tunc demum ad chordas transeundum erit. Prius tenuior eligatur. Apex chordae forfice rotundior reddatur, chordaque ipsa oleo vel saliva inuncta sit, ne duritie sua vehemens ciet incitamentum. Apex uti virgula indagatrix in saccum immittatur, et pars chordae apici vicina pedetentim per saccum ductumque nasalem transeat. Sensibilitate aegri majore etiam pedetentim chorda ita quidem immitatur, ut chirurgus per ali-

quot temporis momenta quietus maneat, et deinde demum in chordae pergat immiſſione. Plerumque repetita ſternutatio accedit, qua continuata quietus relinquatur aegrotus. Chordae acumen nunc in nares atque palatum abit ibique vomitum perſaepe ſolet excitare. Medico tunc officium incumbit, vel acu, vel penna tenuiore in nares immiſſa iſtam chordae particulam ex naſi ductu prominentem per nares ita producendi, ut per oſtium narium chordae promineat apex. Quo facto chordae particula ulterius producatur, ut apice forfice ſeparato ultra pollicis latitudinem promineat chorda. Etenim ſi brevior fuerit, mox per mucum et lacrymas emollita decurtatur, et inde fit, ut ad oſtium naſi ductus retracta, non amplius arripi poſſit, et medicus chordam e ſacco extrahere novamque denuo ſub inſigni doloris incremento immittere cogatur.

§. 140.

Immiſſione rite peracta denuo injectio fiat lapidis divini et conus ex linteo carpto paratus juxta chordam in vulnus immittatur, ut illud conſervetur apertum. Quolibet die nova chordae particula in ſaccum ductumque immittatur, protracta per nares iſta parte, quae die anteriore et ſaccum et ductum repleverat. Immiſſio fiat et digito partem immittendam tenente aut potius dirigente et ope illius partis, quae ex narium oſtio prominebat, et quae digitis prehenſa extrahitur. Omnia reliqua, et injectio per ſyphonem in ſaccum facta, et novi lintei carpti in vulnus immiſſio repetenda ſunt, quando novam chordae particulam in ductum immiſeris naſalem. Chordae pars ſequentibus diebus immittenda Laudano ſemper illinatur, cujus ad membranae ductus naſalis in integrum reſtitutionem utilitatem ſummam inter Beerii aegrotos mihi obſervare contigit.

§. 141.

Chorda prima per immiſſionem quovis die repetitam abſumta paullo craſſiore ſimili ratione naſi ductus repleatur. Qua denuo

consumta respiciendum erit, num libere in ductu moveri possit chorda, num fluida in vulnus injecta juxta chordam in nares una deducantur, et num omne fere muci profluvium ex sacco desierit. Sanatio tunc est peracta. Licet chordam extrahere et vulnus sacci sanare. Conus igitur iste ex linteo carpto paratus extrahatur, et vulneris ostium, si fistulae naturam adeptum fuerit, lapide infernali caute tangatur, donec perfecte fuerit sanatum. — Haec de sanatione occlusionis sacci ex membranae tumore in nasali ductu pendentis.

§. 142.

Alia vero agendi ratione opus erit, si vera ductus nasalis concretio locum habuerit. Ille aegroti status omnem chirurgi respuet opem atque dacryostagiam relinquet insanabilem. Optime agitur, si ipsum sacci ambitum extinguis, eoque modo novam deles inflammationis causam. Quod quidem lapide infernali per vulnus immisso optime peragetur. Nova exinde locum habebit inflammatio, omne sacci lumen concretione extinguens. — Aegrotus si hoc non permiserit, saltem bis terve in die saccum digito premens fluida ibi contenta per puncta lacrymalia emittat, eoque modo mechanicam dacryocystitidis amoveat causam.

§. 143.

Quando mera locum habuerit fistula lacrymalis, i. e. quando extincto omni dacryocystitidis, tumoris, ruboris atque doloris vestigio ipse abscessus omnia fere inflammationis phaenomena amisit, atque ex ostio fistulae fluidorum in sacco contentorum guttulae prodeunt, — eadem agenda erunt, quae in antecedentibus §phis sunt proposita. Attamen fistulae lacrymalis operatio in primo initio paullulum diversa erit. Etenim saccus ratione jamjam descripta incidatur, atque dein virgula indagatrix immittatur. Deinde vero etiam fistula ad saccum usque incidenda erit. Virgula indagatrix in latere excavata per fistulam ad saccum ducta cultello viam monstret, qua fistulam ad saccum usque ape-

rire debet chirurgus. Quo facto vulnus fiſtulae una cum iſto ſacci linteo carpto repleatur, atque lege artis deinde utriusque inſtituatur ſanatio.

§. 144.

Quando porro fiſtulam habueris cum carie oſſis unguis conjunctam, vix ſperandum erit, fore ut tranſitus lacrymarum per naſi ductum reſtituatur. Etenim malum tam increvit, ut ſumma totius ſacci naſique ductus inde ſequatur corruptio. Operatione fiſtulae peracta carioſa pars oſſis acumine forficis communis contundatur. Particulae oſſis ſic ſeparatae volſella extrahantur. Quibus peractis ſaccus linteo carpto repleatur, unguento digeſtivo illito, atque ſuppuratione in ſuperficie oſſis vulnerati exorta totum cavum lapide infernali tangatur, donec cum perfecta ſimul totius ſacci extinctione penitus concreverit.

Attamen morbus univerſalis, ſi adfuerit, ſanandus erit, antequam ad hocce operationis genus accedatur. Siphilis igitur mercurialium uſu extinguatur, et ſcrophularum morbus omnem exigit remediorum et in ſyſtema lymphaticum agentium et ſimul roborantium efficacitatem, fonticulos, balnea, iisque demum rite exhibitis medicus ad mali localis accedat ſanationem.

§. 145.

Blennorrhoea ſacci iisdem remediis ſanabitur, quibus et hydropis ſacci efficies extinctionem. Topicis nempe iis, quae non ſolum adſtringunt et roborant, ſed nutritionem quoque partis depravatam in integrum reſtituunt. Qualia ſunt ſolutio lapidis divini, aqua aluminata, ſolutio vitrioli albi, quae omnes cum multo Laudano commiſcendae erunt. Qualibet hora, vel dimidio ipſius ſpatio, ſi tactu digiti antea ſaccum puriorem reddideris, aliquod guttulae hujus fluidi in angulum internum immittantur, et aegroto ſupino decumbente tali ratione per puncta lacrymalia abſorbeantur. Semel praeterea in dies ſingulos unguentum mercuriale rubrum et quidem lentis magnitudine oculo

illinatur, cujus particulae ſimili modo in ſaccum per abſorptionem delatae ſummam praeſtabunt utilitatem.

Porro in malo inveterato non ſolum longo et repetito eorum remediorum uſu opus erit, verum inter ſe etiam invicem perſaepe commutentur, ut ſemper nova et minus conſueta in ſaccum agant incitamenta. Praeterea etiam morbi univerſalis ratio habenda erit, ſi una adſuerit, morbique localis auxerit vehementiam.

§. 146.

Hernia denique, ultimum iſtud ex dacryocyſtitide repetita malum, remediis ſanatur et ſacci atoniam et blennorrhoeam comitantem tollentibus. Ante omnia igitur remedia uſum praeſtant §pho antecedenti laudata. Attamen non ſufficiunt, cum parietis ſacci anterioris atonia jam partis extenſionem attulerit et preſſu tantum ſacci ſanari poſſit iterum iterumque continuato. Neutiquam vero opus erit machinis iſtis varie compoſitis, quales Sharpiana aliaeque reperiuntur, in quibus modo ingenii mechanici dotes ab earum inventoribus declaratas admirari licebat. Simplex, firmus et oblongior globulus ex linteo carpto paratus et linteo incluſus tumori imponatur, et impoſitus linteolo atque faſcia ſupra caput faciemque traducta firmetur. Preſſus inde fit continuus, mitis, morbumque licet inveteratum et vehementiorem certo temporis ſpatio extincturus.

LIBER SEXTUS.

De carunculae lacrymalis inflammatione.

§. 147.

Rariſſimum eſt inflammationis in oculo genus, cum ſaepius vicinae partes, quam ipſum hujus glandulae parenchyma phlegmone corripiantur. Cum aliis ophthalmiis, v. g. ophthal-

mia externa, aut ſacci lacrymalis inflammatione vehementiori ſaepius conjungitur, — tamen morbus tunc magis in integumentis haeret, quam in ipſo glandulae ambitu, nec phaenomena profert, quae idiopathicam carunculae inflammationem excipiunt, qualis eſt abſceſſus in ejus parenchymate exortus, glandulae tumor aut ejus nutritionis incrementum, quod ſaepius cultello medicus delere cogitur. Corpora aliena praeterea hanc ob cauſam carunculae rarius infenſa reperiuntur, quia in extremis haeret anguli interni finibus, ibique corpora iſta, vel ſub initio illapſa, vel ex angulo externo eodem deducta citius eliminantur. Attamen unica fere hujus phlegmones cauſa in corporibus nititur alienis carunculae parenchyma irritantibus. Quae igitur tantum haecce peragere poterunt, acumine latiori ſi fuerint praedita atque ipſi glandulae corpori quaſi infixa. Praeſertim, ſi fracto corpore acumen in glandula non detectum reſtat, atque ſic ophthalmiatri conamina optato carent ſucceſſu, cum inflammationis cauſam corporis iſtius amotione extinguere nequeat.

§. 148.

Diagnoſis morbi facilior. Rubor atque tumor carunculae atque valvulae ſemilunaris, quae ſemper inflammationis particeps fit, cum dolore in illa regione locali, qui primo pruriens, mox pungens et flagrans reperitur, prima exhibent hujus morbi phaenomena. Tumor mox ad nucis avellanae magnitudinem usque augetur. Dolor tunc ad ipſa narium extenditur integumenta. Tumor puncta lacrymalia premens, eoque modo ex ſitu ſuo movens lacrymarum impedit abſorptionem. Inde dacryoſtagia frequens et perpetuus reperitur inflammationis in caruncula comes. Inſigni praeterea duritie ſub ipſo mali initio tumor praeditus reperitur.

§. 149.

Mox vero rubor tumoris ejusque durities decreſcunt atque dolor minor perſeutitur. Puris generatio nunc locum habuit.

Abſceſſus mox apparet, punctulo flavido facile cognoſcendus. Qui quidem niſi citius aperiatur, et ita ſanatio celerior locum habeat, magis ambitu auctus mox omnem glandulam membranamque ſemilunarem conſumit, et ita, cum tela pereat celluloſa palpebram inferiorem jungens ſuperiori, Ectropium prioris producit inſanabile, quod, cum et puncta lacrymalia eo modo ſitum ſuum mutare ſoleant, dacryoſtagia perpetua comitatur.

§. 150.

Graviori in caſu inflammatio ad vicinum tranſit ſaccum lacrymalem atque ipſius phlegmonen producit, propriis ſignis alibi jam enumeratis facile cognoſcendam, remediisque ibidem adlatis ſanandam. — Interdum etiam, inflammatione non recte per ſuppurationem exortam extincta atque nutritione partis glanduloſae eo modo graviter depravata, glandula fungoſam induit formam, volumen ejus magis magisque augetur, et reliqua ſimul deſunt partis inflammatae phaenomena. Denique et cancroſi ulceris in parte affecta obſervarunt originem. De quo quidem in ſingulo capite nobis erit agendum.

§. 151.

Sub primo mali initio, quod quidem medico rariſſime ſanandum committitur, inflammatio frigoris ope diſcutienda erit. Quod quidem aqua frigida ſimplici linteolorum ope impoſita peragere ſolemus. Simul et cauſa, ſi fieri poterit, removenda erit, et corporis praeſertim alieni ex artis lege ratio habenda.

Attamen, ſi ſuppuratio jam inceperit, antea hoc erit agendum, ut ejus incrementum ob cauſas jam ſupra allatas impediatur, et ſimul partis puris generatione adſectae acceleretur ſanatio. Cum partis glanduloſae natura vix cauſtici ferat effectus, quo quidem alias abſceſſus ars aperire jubet, cultello ſolo utendum nobis erit, talem ſi aperire decrevimus abſceſſum. Quo quidem peracto et pure inde emiſſo, pars aqua ſaepius abſtergatur cum aqua calcis et ſpiritus vini pauxillo parata. Quibus omni-

bus ad perfectam usque partis in integrum reſtitutionem erit pergendum.

§. 152.

Fungoſum vero glandulae corpus ex inflammatione reſiduum cauta manu tractetur. Homine alias ſano, vegeto, robuſto, omnisque cachexiae experte primo tentandum erit, num guttula Laudani ſemel aut bis per diem penicillo ad partem adfectam allata ipſius tumoris peragatur diſcuſſio. Quibus autem per aliquot dies repetitis [redacted] ſine eventu proſpero ſuccedente ſola tumoris amotio manu chirurgica peracta ſanitatem reſtituere valebit. Tumorem unco aut volſella bene comparata correptum ſive cultello ſive forfice Davidiana eo modo ſeparamus, ut et tota pars tumida, ſi fieri poſſit, ſeparetur. Quo temporis momento ſimul vicinarum partium, punctulorum et canaliculorum praeſertim lacrymalium ea habetur ratio, ut omnis ipſarum laeſio penitus evitetur. — Sanguinis profluvium ſatis parvum erit, nec, ſi validius fuerit, ullo artis auxilio opprimatur. Quibus peractis et ſuppuratione exorta vulnus tali modo inflictum lege artis ad ſanitatem reducatur.

LIBER SEPTIMUS.

De Orbitae et de Glandulae lacrymalis inflammatione.

§. 153.

Sub orbitae inflammationis nomine comprehendimus omnium organorum inflammationem, quae in orbita adſunt, et quae propterea etiam glandulae lacrymalis inflammationem in ſe continebit. Uti Schmidtius jam recte adnotavit [1], vix vera glandulae inflammatio locum habebit, cum potius tela ipſam veſtiens et

[1] Handbuch der Krankheiten des Thränenorgans, p. 133.

in acinorum abiens interſtitia phlegmones ſedem exhibeat, et cum exinde etiam univerſa orbitae tela cum illa glandulae cohaerens citius malo corripiatur, et ipſi occaſionem praebeat inflammationi.

§. 154.

Cum vero haecce tela contineat magnam nervorum copiam, et ad muſculos oculi et ad ſyſtema oculi ciliare commeantem, cum ipſum veſtiat nervum opticum, cum denique cum periorbita cohaereat, membrana iſta meningibus arcta copulatione juncta, — exinde concludes, orbitae inflammationem magno cum irritabilitatis tum ſenſibilitatis fervore effectus ſuos exſerere debere. Etenim muſculi et vaſa ſatis numeroſa orbitae inſunt, et exinde phaenomena adparent ex nimia et irritabilitatis et ſenſibilitatis actione facillime diſcernenda. Propterea etiam morbus majore vehementia auctus ſemper phrenitidis ſymptomata exhibebit, cum et meninges et ipſum adeo cerebrum in regione thalami nervorum opticorum inflammationis magis minusve participes fieri ſoleant.

§. 155.

Talis reperitur tam gravis morbi decurſus. Aegrotus primo oculi dolorem perſentiſcit prementem et tempora occupantem, et, ſicuti quidam voluerunt, pone oculum et in averſa oculi parte locum habentem, uti aegroti quidam ipſum deſcribere ſunt conati. Orbitam ſub doloris incremento nimis parvam aegrotus accuſat, ut quaſi bulbus ex ipſa protrudi videatur. Apparet ſimul oculi ſiccitas, quae eo tempore, quo dolores increſcunt, ſimili modo augeri ſolet, et aegrotis maximam creat moleſtiam.

§. 156.

Sub ipſo doloris incremento etiam febris accedit inflammatoria, cum pulſu duro, celeri, frequenti, ſecretionum ſuppreſſione magis minusve inſigni, ſomni abſentia aliisque ſymptomatibus gravioribus conjuncta. Dolor ad furorem usque augetur,

totum occupat affectum capitis latus, ad totum denique caput cum infigni aegrotorum cruciatu extenditur, donec ad delirium aegroti delabantur, quod fub magno morbi incremento infigni cum vehementia accedere folet. — Interea temporis, quo malum tali ratione etiam univerfi corporis labem adducit, palpebra fuperior tumere incipit, et fub ipfo tumoris cum inflammatione incremento cutis palpebrae livida fit, durior atque quafi fplendens. Quae tumoris vehementia perfaepe etiam interioris oculi impedit difquifitionem.

§. 157

Exitus mali nunc triplex reperitur. Modo fub phrenitidis perfectae fymptomatibus aegroti animam exfpirant, — modo morbi vides in abfceffum oculi tranfitum, — modo denique ophthalmitis perfecta orbitae inflammationi adjungitur, et bulbi fuppuratio cum abfceffu orbitae conjuncta accedit.

Si orbitae abfceffus tantum apparet, in tumore palpebrae fuperioris prima habebis puris fecreti indicia, atque fuppurationis veftigia. Febris fimul vehementia decrefcit, doloris remittit furor, et in pulfantem magis folet abire, et abfceffus fi rite fuerit apertus faepiffime morbus fic fanari folet, ut et vitam et oculi formam et quandam adeo vifus facultatem magis minusve integram retineant aegroti. Apertione omiffa vero apoftematis pus ita collectum mechanica ratione maximam denuo excitat inflammationis vehementiam, quae citius in phrenitidem abiens aegrotum interimit. Sectione cadaveris inftituta et lobum cerebri anteriorem cum meninge inflammatum et pufis cum in cranii fuperficie tum in orbita collectionem videbis.

§. 158.

Quando autem et oculi bulbus mali particeps fit, et quando ophthalmitis fincera orbitae adjungitur inflammationi, haecce fymptomata fere adparent. Leviter quidem rubet bulbi fuperficies et pupilla fit anguftior non fine impedita iridis mobilitate

atque visus deminutione. Quod malum eo magis augetur, quo majora capiuntur et doloris et febris inflammatoriae incrementa. Mox scintillarum sensus ante oculos adparet, atque fulgurum imagines aegros jam penitus fere obcoecatos divexant. Eodem tempore, quo abscessus orbitae originem cum febris atque doloris deminutione animadvertimus, etiam hypopii gravissimi symptomata adparent, eoque modo, quo in capitibus de Iritide et de Ophthalmitide dictum fuit, ipsam turbare incipiunt oculi formam. — Talem et tam varium morbi gravissimi exitum animadvertere licet.

§. 159.

Quae cum ita sint, etiam prognosin habebis in omni ejusmodi malo minus faustam, quod et vitam et ipsam videndi facultatem et oculi formam attinet. Meliora praedicere licet, quando aut inflammatio minima fuerit, aut in abscessum transierit ad exteriora penetrantem atque sic locum habuerit puris evacuatio. Melior porro adparebit prognosis, si non ophthalmitis malo fuerit adjuncta, — quod vero rarissime locum habebit, cum inflammationis vehementia vix partem ab organis inflammatis vestitam intactam relinquat. Etenim bulbo vix aut minori saltem gradu affecto etiam bulbi forma manet integra, et si malum absque nervi optici depravatione per inflammationem orta locum habuerit et visus integer manet, aut in amblyopiam modo leviorem morbus transit. — Prognosis porro laetior efformanda erit, si primae jam febris hoc malum comitantis vehementiae rite recteque obviam ire eamque sedare licet, — cum exitus inde semper pendeat felicior.

§. 160.

Contra pejora adnuntianda sunt, si major febris vehementia vix poterit sedari, aut si medicus tunc demum accessitus fuerit, quando mali exitus jam in typho conspicuus cernitur.

Tunc, ſicut in iſto caſu, ubi vera phrenitis malo adjuncta fuerit, vix vitae conſervandae ſpes affulgebit. —

Oculi porro viſusque certam timeas extinctionem, ſi non orbita tantum, ſed totus etiam bulbus fuerit inflammatus. Viſus citius perit, quam mali vehementia infringi potuiſſet, et bulbi univerſi ſuppuratio citius etiam ipſam ejus adducit deſtructionem. — Hoc ſaltem certiſſimum erit, in omni orbitae inflammatione eventu contentum eſſe debere medicum, ubi deperdito viſu atque extincta oculi forma aegrotus vitam ſuam retinuit.

§. 161.

Quod mali curationem attinet, ea et localis eſſe debet et aſſiduam febris univerſalis exigit deminutionem. — Quod febrem attinet, iſta ſub initio venaeſectione largiore et, ſi aegroti ſtatus poſtulaverit, repetita, diaeta aquoſa, tenui, acidulata, alvum ducentibus antiphlogiſticis, et calomelis uſu largiore cum inunctionibus unguenti neapolitani conjuncto, donec veſtigia ptyalismi adparuerint, — indigebit. Venaeſectionibus denique praegreſſis, febrisque fervore jam ſedāto, ſi dolores nimii adhuc ſuperſtites mānſerint, opiatum certam poterit adferre opem. Cura porro localis poſita ſit in larga et repetita hirudinum admotione, quae venaeſectioni optime ſolet adjungi, in unguenti neapolitani ſupra orbitam inunctione et cataplasmatum emollientium et calidorum adplicatione, — ſi ophthalmitidis nondum apparuerint veſtigia. Quando autem ophthalmitis una adparuerit, a cataplasmatum uſu penitus abſtineatur, et calor ſiccus ſacculorum ope adplicandus unaque aqua ſimplex ophthalmica cum Laudano parata adhibeantur. Quibus omnibus pergendum erit, donec vel malum diſcuſſione finitum fuerit, vel prima jam abſceſſus orbitae veſtigia adparuerint.

Quo quidem ſuborto et cataplasmata amollientia ſedulo imponantur et abſceſſus, quam primum hoc fieri potuerit, lanceola aperiatur et deinde artis lege per tempus certum apertus ſer-

vetur. — Quibus omnibus, ſi qua morbi gravioris ſanandi ſpes affulſerit, certior ejus expectanda erit ſanatio.

LIBER OCTAVUS.

De Ophthalmia externa idiopathica.

§. 162.

Sub ophthalmiae externae nomine inflammationis genus intelligitur, quod externas bulbi membranas, conjunctivam praeſertim, ſcleroticam, corneam occupare ſolet, atque phaenomena exhibet, ſecundum cauſas morbum producentes, et ex varia hominis aegroti natura quam maxime diverſa. Frequentiſſimum omnium ophthalmiarum genus nominari meretur, cum ex ipſa plerumque reliqua etiam exoriantur oculi inflammationum genera, quae ob ſingularem morbi et univerſi corporis rationem etiam diverſa reperiuntur. Ita ex ophthalmia externa oriri ſolent et ophthalmoblennorrhoeae et ophthalmiae venerea, arthritica, ſcorbutica, ſcrophuloſa. Tunc in aegrotis univerſi corporis morbo laborantibus citius ſeriusve evaneſcunt ſincera ophthalmiae externae idiopathicae ſymptomata et phaenomena pedetentim accedunt, quae quamlibet ſingularem ophthalmiam cum corporis labe conjunctam adnuntiant; uti mox in ſequentibus uberius exponetur.

§. 163.

Interdum et interna bulbi inflammatio huic externae ſuccedit, cauſis praeſertim, quae hancce externam producebant, ſimul in interna oculi organa agentibus. Saepiſſime etiam cum palpebrarum labe juncta apparet, ut blepharophthalmia vel glanduloſa, vel eriſipelatoſa comes ejus reperiatur. Cujuslibet mali cum ipſa conjuncti cura et huic ipſius curandi methodo erit adjungenda.

§. 164.

Varii quidem hujus inflammationis occurrunt gradus. Beerius illam in veram et ſpuriam dividebat. Sub verae quidem nomine comprehendit eam, quae a primo initio ſola in externis bulbi haeret membranis, et cum conjunctivae bulbi tumore conjuncta adparet. Spuriam contra vocat illam, quae a palpebris inde et a blepharophthalmia originem ducens, huic morbo primario ſuccedaneus quaſi et ſymptomaticus accedit morbus. Rarius tamen ſine ulla palpebrarum inflammatione ophthalmia locum habebit externa, cum arcta conjunctio inter bulbum externum et palpebras per conjunctivam utrasque partes veſtientem orta ſaepius morbum excitet et palpebras et bulbum externum una afficientem. Ophthalmia externa in iis frequenter caſibus absque palpebrarum inflammatione apparebit, ubi laeſionem bulbum externum modo adficientem habueris, et ubi ophthalmia, uti vocatur, travmatica partem inceperit occupare ab incitamento quodam laeſam. Uti praeſertim in laeſione bulbi per corpuscula obſervavimus aliena.

§. 165.

Cauſae ophthalmiam externam idiopathicam producentes vario numero reperiuntur. Qualia ſunt corpuscula aliena in oculum illapſa et vi mechanica bulbum irritantia, particulae ferri inter labores fabrorum aliorumque oculo ita admotae, ut aut conjunctivae bulbi firmiter inhaereant, aut illam latere tangant acuminato, — particulae vitri contuſi aut ligni ſciſſi ulla quadam ratione et ſimili modo ad oculum usque penetrantes, inſerta inter oculum et palpebras haerentia, cilia palpebrarum aut inverſa aut tali modo progerminantia, ut ipſam tangant ſuperficiem bulbi externam, id quod in trichiaſi et entropio reperitur, — ſive corpora mechanica et chemica ratione ſimul aut chemice tantum conjunctivam bulbi laedentia, uti particulae calcis vivae vel pulveris ſternutatorii ex herba nicotianae et q. ſ. a. Denique etiam

fluidis acrioribus, quorum guttulae oculum tetigerunt, ophthalmiae externae saepius observavimus originem.

§. 166.

Causae a labe universali pendentes nec immediate oculum ipsum proxime afficientes, neutiquam huc pertinent, cum non ophthalmiam externam idiopathicam, sed potius symptomaticam efficiant. Frequentissime illa oritur ex abnormi cutis per aëris accessum ratione, quae ophthalmiam catarrhalem et rheumaticam oriri jubet. Alia autem nititur in febre totius corporis, quae singularem in membranas oculi externas effectum exserit. Quale damnum adferunt morbilli, scarlatina, variolae. De quibus omnibus in singulis agetur capitibus, in altera opusculi parte contentis.

§. 167.

Varii reperiuntur ophthalmiae externae gradus, qui quidem singuli diverso decursu incedentes et variam exigunt prognosin et diversam requirunt medicamentorum rationem.

Prima atque levior sub Taraxeos nomine inter nos celebratur. Conjunctiva bulbi praecipuam exhibet ejus sedem. Vasa ejus undique sanguine referta conspiciuntur, et ex ambitu bulbi externo undique ad corneam concurrentes. Sclerotica simili modo majorem vasorum sanguiferorum ostendit actionem. Attamen, cum tenuiora reperiantur, non tam distincte eorum conspicere vales decursum, sed tantummodo sclerotica ipsa rubore quodam pallidiore et singulari perfunditur. Quapropter in tali inflammationis externae gradu, post rete vasorum conjunctivae sanguine refertorum rosaceum vides bulbi exterioris, si corneam exceperis, adspectum, ut ita vasa conjunctivae supra superficiem leviori rubore perfusam extensa conspiciantur.

Vasa ista bulbum in Taraxi obtegentia in conjunctiva tantum locum habere exinde videbis, bulbum si saepius ab aegro huc illuc moveri jubeas. Etenim in illis praesertim conjunctivae bul-

bi partibus, quae illi palpebrarum propiores ſunt, quandam ſitus vaſorum mutationem obſervabis, quae ex laxioris conjunctivae extenſione et ex motu bulbi ipſa obtecti originem ducit et quae certiſſimum medico indicium erit, vaſa haecce non in ſclerotica ſed in ſola bulbi conjunctiva adeſſe.

§. 168.

Leviora praeterea aegroti obſervant ophthalmiae externae in Taraxi ſigna. Primo aeger de pruritu quodam conqueritur, in oculi ambitu locum habente, qui talem quidem ſenſum excitat, qualem corpusculum alienum aut arenula oculo illapſa ſolet exhibere. Quapropter in ophthalmia rheumatica et catarrhali multi aegrotorum corpusculum alienum oculo illapſum eſſe autumantes de ejus remotione conſilia agitarunt. Senſus iſte pruriens magis magisque augetur et tandem in dolorem abit pungentem et flagrantem. Praecipue augetur ſub quolibet oculi et palpebrarum motu, ſine dubio, ſi frictio palpebrarum et bulbi externi locum habuerit, quae talem excitat dolorem. Dolor iſte in ſuperficie modo haerens mox augetur, Taraxis ſi in Chemoſin aut etiam ipſam Iritidem aut in bulbi inflammationem tranſierit. Sed tunc non amplius Taraxin habes, imo potius aliud inflammationis genus, de quo quidem alio in loco diſſeretur.

§. 169.

Semper aucta lacrymarum ſecretio conſpicitur in Taraxi, — ſicuti et muci ex glandulis meibomianis ſecretio paullo major adeſſe videtur, ſi vel palpebrarum conjunctiva a morbo immunis reperiatur. Saltem hoc nobis monſtrare videtur ſymptoma iſtud, quod aegrotis Taraxi correptis candelarum lumen circulo ſplendente cinctum demonſtrat, ut ita luminis radii fluido mucoſo corneae ſuperficiem obtegente alio modo frangantur, quam alias in ſtatu oculi ſaniore fieri ſolet. — Lacrymarum ſecretio ſi ſublata fuerit, eo graviorem monſtrat ophthalmiae externae gradum a taraxi genuina jam longe abhorrentem atque Chemoſeos et Oph-

thalmitidis praesentiam adnuntiantem. De Xeromate igitur, uti tale symptoma vócari solet, alio in loco a nobis sermo erit instituendus.

§. 170.

Taraxis praecipue adest in omni ophthalmia catarrhali et rheumatica, nec si in graviorem abierint oculi labem ultra hujus morbi fines malum extenditur. Taraxis praeterea in omni ophthalmiae deuteropathicae, uti o. venereae, arthriticae, etc. primo initio reperitur. Denique etiam primum comitatur cujuslibet ophthalmiae travmaticae stadium, quod interdum in sola consistit taraxi atque illa terminari solet, — interdum etiam in alias transit ophthalmiae travmaticae species.

§. 171.

Taraxis quando augetur, non amplius tali nomine digna in alias transit ophthalmiarum species, qualis est praesertim Chemosis et Ophthalmoblennorrhoea, vel etiam morbo ad interna oculi organa progresso, Iritis et Ophthalmitis perfecta, quae externae oculi inflammationi adjunguntur.

Si autem Taraxis ad sanationem proclivior reddita decrescere incipit, primum sanitatis recurrentis signum et in dolore imminuto et in secretionis lacrymarum vehementia conspicitur decrescente. Dolor pedetentim evanescit, secretio lacrymarum ad ordinarium fere redit statum, et rubor bulbi magis magisque pallescere incipit. In singulis jam exterioris bulbi locis vasorum sanguine turgentium copia deest, donec tandem versus angulos tantum, aut in superiore vel inferiore bulbi margine conspiciantur, et in omnibus demum bulbi regionibus, morbo penitus jam extincto, oculum fugiant spectatoris.

§. 172.

Attamen non semper tam felici successu ophthalmiae externae symptomata decurrunt. Graviori in casu Taraxeos habemus in

Chemosin transitum, cujus sub nomine inflammationis gradus comprehenditur, symptomata exhibens ab illis Taraxeos longe diversa.

Primum Chemoseos ex Taraxi initium et conjunctivae tumore incipiente et bulbi ipsius siccitate et doloris incremento cognoscitur. Sicuti omnis inflammatio vehementior in ulla parte secernente haerens secretionis ejus suppressionem magis minusve insignem efformat, ita etiam Chemosis bulbi exterioris secretionem, i. e. illam seri mucique tenuioris penitus tollit. Sine dubio propter palpebrarum consensum glandulae simili modo affectae mucum vel plane nullum vel multo pauciorem, quam par esset, secernunt, talique modo faciliorem reddunt morbi diagnosin. Bulbi inde oritur siccitas insignis, quam veteres Xeroma apellarunt.

§. 173.

Conjunctiva bulbi praeterea omni ex parte et aequali cum superficie tumere incipit. Attamen conjunctiva corneae magis stricta atque densa solam exsurgere sinit membranam scleroticam obtegentem et hucusque immutata in secundo demum chemoseos stadio symptomata exhibet, quae ejus mutationes per inflammationem factas annuntiant. Hinc fit, ut tumor conjunctivae magis magisque auctus ipsam valli instar in omni corneae extremitate assurgere cogat. Conjunctiva bulbi tali modo extensa corneam obtegere incipit scleroticae magis vicinam. Quae si facta fuerint, et ambitus corneae minor videbitur, cum tumore isto conjunctivae paullulum elevato veros demum conspicere poteris corneae fines, eosque ejus regionis, quae ipsam cum sclerotica magis vicina conjungunt.

§. 174.

Color hujus tumoris in conjunctiva est maxime rubicundus, attactu duriusculam et strictam cognosces tumoris superficiem, et gravis dolor vix ullum permittit et membranae tumentis attactum et crebriorem impedit palpebrarum apertionem. Quibus

omnibus, ficuti et bulbi ficcitate Chemofin facillime ab Ophthalmoblennorrhoea dignofcere valebis. Etenim in hacce ophthalmiae fpecie etiam conjunctiva non aequali modo extenfa et tumida reperitur, — cum lobulos formet fingulares corneam exteriorem a latere obtegentes, et in ipfa fuperficie, quae palpebris obtegitur, inaequalis, rugofa et gibbera quafi confpiciatur, — et tumor conjunctivae aut pallide rubeat, aut, quod praefertim in ophthalmia fcorbutica videmus, in violaceum tendat colorem, — et tumor ipfe flaccidus fit et rudem adeo ferat attactum, ideoque etiam faciliorem admittat palpebrarum aperturam, — et muci infignis adfit fecretio, nec unquam ulla vel leviffima Xeromatis indicia adpareant.

§. 175.

Attamen cornea ejusque conjunctiva in primo morbi ftadio non omnis phaenomeni morbofi expers reperitur. Vafa ejus majore fanguinis copia irrigantur. Inde vides, quo magis auctus fuerit conjunctivae tumor etiam perfpicuitatem corneae imminutam, eamque fub inflammationis incremento levi rubore tinctam, ut adeo vafis unius alteriusve in illa cognofcere valeas decurfum. — Quae funt primi Chemofeos ftadii phaenomena.

Dolor oculi hocce tempore magis magisque augetur, et praefertim infigni cum vehementia aegrotos vexat, fi oculum inflammatum aperire conati fuerint. Una febris accedit univerfi corporis per Chemofin exhibens irritationem, quae magis minusve infignis inflammatoriae febris fymptomata initio praebet, atque cum bulbi inflammati recta curatione tum etiam methodo antiphlogiftica bene adhibita erit fananda.

§. 176.

Morbo talem ad gradum provecto nec recta adhibita medendi methodo fecundum ejus accedit ftadium, quod vero rarius folum, fed faepius cum aliis oculi inflammationibus conjunctum apparebit. Etenim externarum oculi membranarum labes tanta

cum vehementia effectus ſuos in omnes bulbi partes exſerit, ut totius oculi inflammatio aut ſaltem iritis, ſeu partium intra humorem vitreum et corneam poſitarum phlegmone chemoſi adjungatur. Quapropter etiam ſecundum hujus mali ſtadium ſaepius hypopion totiusque bulbi colliquationem in comitatu ſuo habebit.

Secundi chemoſeos ſtadii ſymptomata haec ſunt. Puris intra laminas corneae ſecretio primum ejus exhibet ſignum. Cornea flaveſcentem tunc adipiſcitur colorem, qui vero in uno alterove loco magis flavidus unius aut adeo plurium abſceſſuum intra corneae laminas ſubortorum locum deſignat. Quibus pedetentim auctis et perſpicuitas corneae penitus perit et ejus craſſitudo tali modo augetur, ut laminae ejus pure diſtentae ter, quater aut quinquies adeo priſtinum corneae diametrum valeant ſuperare.

§. 177.

Simul etiam materiae purulentae in conjunctiva affecta incipit ſecretio. Modo abſceſſus in ipſa ſuboriuntur membranae tumentis tela celluloſa, modo purulenta materia, ſi vel pauca fuerit, ad margines ſaltem conjunctivae, ubi valli inſtar corneam includebat, ſecernitur, modo in omni adeſt tumoris ſuperficie et chemoſis perfecta exhibet ophthalmoblennorrhoeae ſymptomata. Tali enim in caſu chemoſis ſaepiſſime, ſi in ſecundum ſtadium transgreſſa fuerit, abit in ophthalmoblennorrhoeam.

§. 178.

Morbo ad talem gradum increſcente exitus reperitur ex ſecretione abnormi diverſus. Hypopio et bulbi colliquatione a morbo concomitante ſuborta non ſolum viſus perit, verum etiam ipſa oculi nutritio atque forma, et exinde inflammatione ſanata et oculi atrophia locum habebit, et perfecta bulbi per ipſam ſucceſſu temporis extinctio. — Morbo autem in externis modo oculi partibus haerente atque chemoſi ſola atque genuina praeſente alius reperitur morbi decurſus, ipſam oculi formam adhuc in-

tegram ſervans, ſi vel corneae obſcuratione viſu deſtituti fuerint aegri. Dolor concomitans pedetentim decreſcit, et tumor conjunctivae ex parte tandemque penitus imminuitur. Plurimis abſceſſibus corneam obtinentibus ii vel rumpuntur atque pure effuſo ulcus remanet purulentum et magis minusve profundum et intra corneae laminas extenſum. Vel abſceſſu non aperto pus pedetentim reſorbetur. In utroque caſu locus corneae tali modo affectus obſcurationem ſplendide albam aut adeo ſtriis ſubcaeruleis vel rubidis tinctam relinquit.

§. 179.

Qui quidem decurſus eſt ſecundi chemoſeos ſtadii, in quo, ſi vel recte fuerit tractatus aeger, rarius viſum integrum retinebit. Quando autem in primo jam morbi ſtadio recta medendi methodo aegrotis auxilium tulerit medicus, tumor conjunctivae cum Xeromate magis magisque evaneſcit, dolor pedetentim imminuitur, atque perſpicuitas corneae ſanguine vaſa extendente paullulum imminuta denuo redit. Donec morbus ad ipſa redierit Taraxeos ſymptomata, cujus jam ſupra injecimus mentionem.

§. 180.

Haec de decurſu atque phaenomenis ophthalmiae externae idiopathicae. Ad ophthalmiam externam pertinent porro Eriſipelas oculi, atque Oedema oculi. Attamen notionem, phaenomena atque medelam utriusque ſpeciei in capite de ophthalmia catarrhali lubentius exponemus, cum ſemper fere ex cauſa catarrhali originem ducant, eamque ob cauſam ophthalmiae catarrhali ſint adnumerandae. Diverſa conjunctivae bulbi per morbum mutatio, quae et ſummum inter Taraxin et Chemoſin diſcrimen ponebat, et hasce ophthalmiae catarrhalis ſpecies diſtincte ſejungit, medicoque in diagnoſi vix errorem committere ſinit.

§. 181.

Nunc ad prognosin in Taraxi et in Chemosi formandam pergamus. In priore longe laetior praecipue medicum ob causas morbum producentes respicere jubet, Laetior erit, si suborta Taraxi travmatica haec noxia incitamenta, quae ipsam adferunt, citius, sub ipso mali initio, et sine ulla rudiori tractatione amovere valemus, laetior, si ipsa causa morbum producens tam lenta atque mitis erat, ut in externas modo oculi membranas, nentiquam vero in interna bulbi organa effectus extenderet suos. Contraria et pejorem prognosin requirunt, cum Taraxis facillime ad graviorem transeat inflammationis gradum. Felicior porro morbi decursus erit, hominem si occupaverit alias sanum. Etenim vitia universi corporis et diversum saepissime atque multo periculosiorem exhibent ophthalmiae decursum, si quidem ophthalmia venerea, arthritica, scrophulosa, scorbutica etc. in hominibus tali morbo laborantibus saepissime ex Taraxi suboritur, et primum ipsarum stadium semper ex simplici Taraxi conspicitur compositum.

§. 182.

Quod porro prognosin in Chemosi attinet, ea nititur in ipsius mali gradu et in ejus medela. Malum; si in primo tantum stadio versatur, melius et feliciori cum successu sanabitur, quam si secundi jam stadii initia accesserunt. Chemosis porro feliciorem saepe eventum eam ob causam exhibebit, — quia in ipsa cornea non tam cito perspicuitate sua orbatur, primumque morbi stadium non tam cito in secundum abit stadium cum secretione abnormi conjunctum, — uti hoc in aliis ophthalmiis gravioribus observare licet. Morbus praeterea feliciora praedicere sinit, si externae modo oculi membranae affectae reperiuntur, partibus bulbi internis adhuc integris, nec iritis aut totius bulbi inflammatio una accesserunt. Pejor contra exitus imminebit, cornea jam in secundo morbi stadio pure atque abscessibus referta. Etenim, si vel pus fuerit resorptum, forma-

que oculi retenta, ex abſceſſibus reſiduae manent cicatriculae magis minusve inſignes omnemque viſum intercludentes, ut ita vel tota cornea ſubcaerulea reperiatur.

§. 183.

Hoc praeterea monendum erit, in aegrotis dyſcraſia quadam ſingulari totius corporis affectis Taraxin rariſſime in Chemoſin abire, ſed contra in venereis, arthriticis, ſcorbuticis ophthalmias ſingulari modo decurrentes producere, quorum infra mentio injicietur. Simili modo in debilitato corpore et in ſcrophuloſis plane non Chemoſeos obſervabimus originem, — ſed tunc Taraxis aliis quibusdam cauſis in illam agentibus in ophthalmoblennorrhoeae ſymptomata ſolet abire. — Chemoſis omnino locum habebit in aegrotis vegetis et robuſtis atque inſigni ſyſtematis irritabilis vigore fibraque ſtricta ornatis, atque univerſali deſtitutis corporis labe. Unica eſſe videtur oculi inflammatio, quae medendi methodum admittit inflammationibus in reliquo corpore obviis adaptatam, quaeque remediis antiphlogiſticis, in quibus ſimul ſenſibilitatis oculi recte ratio habita fuerit, feliciter poterit removeri.

§. 184.

Quod Taraxeos idiopathicae attinet curam, ea prae caeteris in cauſarum eam producentium nititur amotione. Quae cum maxima ex parte in corpusculis alienis oculum tangentibus poſitae ſint, ante omnia quaedam regulae proponendae erunt, ipſorum amotionem maturantes.

Corpuscula aliena mechanico modo irritantia oculum inflammatum reddere valent, modo ſi ſpatium obtinuerint, inter bulbum oculi et palpebras interjectum, nec tamen firmiter haerentia facilius e loco adfecto amoveri ſolent, — modo ſi acumine quodam corneae aut conjunctivae ſcleroticae tali ratione impacta fuerint, ut oculis apertis facilius detegantur, modo ſi in conjunctiva palpebrarum aut eo in loco, ubi conjunctiva

bulbi cum illa palpebrarum concurrit, haerentia, vicinas vellicaverint partes. — Denique etiam corpora quaedam chemica ratione oculum irritare valebunt.

§. 185.

Prima igitur classis corporum alienorum, quae Taraxin excitare valent, inter bulbum oculi atque palpebras detenta facilius huc illuc moventur. Iis praesertim adnumerantur arenulae, insectula etc. Tali modo in oculum illapsa. Remotio ipsorum facili peragitur opera, cum ipsa lacrymarum secretio aucta et ab iis provocata huc conferre videatur.

Etenim lacrymis bulbum irrigantibus haecce corpuscula angulo oculi interno magis magisque appropinquantur, id quod lenta et saepius repetita oculi clausi trituratione facili levari solet negotio. Quae si non parvo suffecerint temporis spatio, injectionibus aquae aut lactis tepidi per syphonem in angulo oculi externo factis saepiusque repetitis remotio corporis alieni facillime maturabitur.

§. 186.

Attamen non semper tam facile peragitur corporum alienorum ex oculo remotio. Interdum, si latere aut apice valde acuminato praedita fuerint corneae aut conjunctivae scleroticam vestienti firmiter impacta haerent. Prae caeteris hoc locum habebit particulis ferri inter labores fabrorum ferrariorum aut ulla alia occasione cum vehementia quadam oculo illapsis, quae quidem, quando simul candentes fuerint, non mechanice solum, verum etiam initio simul chemice oculum adficere solent. Cognosces punctulum nigricans corneae aut scleroticae superficiem obtinens. Gravior quidem diagnosis erit, si corneae inhaeret, si iridis color obscurior atque particula ferri admodum minuta reperitur. Attamen oculo attento, et si bulbum a latere saepius huc illuc motum adspexeris, — errorem facili vitabis negotio.

§. 187.

Ejusmodi corporis ferrei remotio artis legibus tali modo peragitur. Homine ſellae impoſito atque adjutore tali modo, quo in cataractae operatione fieri ſolet, caput palpebramque ſuperiorem aegri tenente, medicus inferiorem detrahit palpebram, et oculum firmum tenere et in unum locum dirigere aegrotum jubet. Deinde lanceola Beeriana, qua alias lentis capſula in extractione aperitur ad hominis oculum ducta corpusculum ferreum tangere et caute ex vulnusculo, quod ipſo inflictum fuerat, elatum amovere ſtudet. Oculus quidem per aliquod temporis ſpatium inquietus mobilitate ſua medicum ſolet impedire, tamen patienti medico mox majorem quietem, eaque ratione etiam feliciorem corpusculi amotionem ſine ulla alia oculi laeſione concedit. — Corpore ſic ex loco ſuo amoto et in bulbi ſuperficie adhuc ſuperſtite, linteoli ope celerrime ex oculo amovetur.

§. 188.

Particula ferri, ſi per aliquod jam temporis ſpatium oculo fuerit impacta, in calcem ſeu oxydum flaveſcens, ut vocant, magis minusve mutatur. Tali in caſu ſaepe fit, ut pars particulae tantum lanceola amoveatur, pars in calcem mutata ad vulneris latera remaneat. Tunc medicus praeſertim etiam hancce particulam amovere adgrediatur, quia alias inflammatio tam gravis oriretur, quam quae eſſet timenda, ſi totum corpus in oculo remanſiſſet. — Quando enim particula ferri tota in oculo reſtiterit, nec chirurgica manu ſit amota, inflammatio magis minusve inſignis exoritur. Tunc corporis amotio ſola ſuppuratione, in vulnere ipſo excitata, perficitur. Corpus antea firmiter impactum mox ex vulnere decidit, et lacrymis profluentibus ex oculo amovetur. Quando in cornea haeſerit, priſtinam ejus nunc reperies ſedem, quae in fovea paullulum obſcurata conſiſtit, et quae in ulcus abit, non ſine corneae abſcuratione ſanandum.

§. 189.

Attamen non ſemper tam facili negotio corporis alieni et membranae impacti remotio peragitur. Interdum tam profunde penetravit, ut adeo cornea perforata in cameram oculi anteriorem et in ipſam iridis ſubſtantiam corpus penetraverit alienum. Quo quidem in caſu triſtiore graviora etiam accedunt ſymptomata, majusque ex ophthalmia periculum. Medicus ante omnia corpus alienum in parte prominente volſella capere atque ſic ulla quaque ratione ſtudeat amovere. Quod ſi non peragi poterit, ad aptiorem ophthalmiae ſubortae curam reſpiciat, atque ſuppuratione vulneris excitata corporis ipſius feliciorem expectet amotionem. Attamen ſemper prognoſi utatur infauſta aut ſaltem ancipiti, cum ob ophthalmiae ſubortae vehementiam, quae eo graviorem ſanationem admittet, quo minus cauſae ipſam efficientis amotio ſucceſſu felici fuit peracta, — tum etiam ob partium internarum laeſionem magis minusve inſignem, quae aut cataractam aut amblyopiam amauroticam aut amauroſin ipſam et q. ſ. a. pernicioſo effectu ſuo facilius excitat. — Caeterum ſpecies ophthalmiae gravioris ex ſimplici eaque externa tali in caſu ſuborta ſecundum methodum, ſingulo in capite luculentius expoſitam, tractetur.

§. 190.

Alio in caſu corpus alienum in conjunctivam ſcleroticae immerſum vulnus ibidem ob laxiorem membranae fabricam inaequale atque ſciſſum inflixit. Quae quidem vulnera, cum multo graviorem excitare ſoleant inflammationis externae gradum, ſaepiusque Chemoſin ipſam et deinde Ophthalmoblennorrhoeam inducant, medicus ante omnia cum ipſius corporis remotione etiam vulneris naturam immutare eamque ſanatu faciliorem reddere ſtudeat. Quod quidem eo modo peragendum erit, ut corpuſculo et membranae laeſae parte volſella capta hancce eo in ſpatio, ubi laeſa conſpicitur, forfice ſeparet Davieliana. Quo

modo vulnus suboritur purum et bene sectum, quod nec inflammationis pericula adducit, nec difficulter erit sanandum.

§. 191.

Alia porro agendi ratione opus erit, si corpus alienum non in conjunctiva bulbi, sed illa in parte haeserit, qua conjunctiva bulbi in illam palpebrarum abit, aut in ipsa palpebrarum conjunctiva.

Omnis gravioris impedimenti expers erit sanatio, corpus si in vicinia palpebrae inferioris sedebat. Etenim palpebra deorsum retracta facili detegitur negotio, praesertim, si bulbum oculi sursum movere jusseris, ut totus in conspectum veniat angulus, a conjunctiva palpebrarum bulbum tangente formatus. Pro varia corporis ratione, si tali modo detectum fuerit, hoc aut volsellae ope extrahitur, aut aquae tepidae eluitur injectionibus.

§. 192.

Multo gravius autem saepe negotium in corpusculi alieni remotione exoritur, quod inter palpebram superiorem atque bulbum retentum fuerit, imprimis, si firmius conjunctivae haeret impactum. Etenim palpebra superior multo difficiliori opera tali modo retrahitur, ut internam ejus superficiem ex parte detegere valeamus, et ipsum anguli spatium multo profundius est, atque magis in superiori parte extensum, quam ut omni opera penitus distingui queat. Attamen etiam in tali casu omnis opera in corpusculi alieni amotione nitatur. Quo melius igitur ipsius situm distinguere valeamus limbo ciliisque digito indice et pollice prehensis palpebram omni modo a bulbo, capite aegroti paullulum reflexo, retrahere studemus. Qua quidem ratione internam palpebram maxima ex parte detegere valemus, praesertim si bulbus ad inferiora fuerit deflexus. Corpusculum tali ratione feliciter detectum aut volsella aut cochlearis Davieliani tenuioris ope, quod inter bulbum et palpebram

introducitur et cujus concava ſuperficie corpusculum iſtud capere ſtudemus, aut injectionibus demum aqua tepida factis amovendum erit.

§. 193.

Quando autem vel omni opera recte adhibita neutiquam detectum fuerit corpus, quod oculum tali modo adficiebat, — amotio ejus tali modo promoveatur, ut ſine graviori bulbi irritatione et ſedem mutet ſuam et deinde ex oculo eluatur. Quod quidem peragitur et frequenti bulbi motu huc illuc facto, et repetitis injectionibus aqua lacteve factis et cauta cochlearis Davieliani tenuioris introductione in interſtitium oculi laudatum ita quidem facta, ut concava ejus ſuperficies ad angulum oculi internum transducatur, et ſic corpusculum, ſi ipſa captum fuerit, ad ipſam aptius reddat ex oculo romotionem. Attamen, quo minor cochleari fiat oculi irritatio, palpebra ipſa a bulbo paullulum amota teneatur, ſi iſtud cochlear inter illam atque bulbum traducere inceperis. Quibus omnibus rite recteque peractis atque ſaepius repetitis, ſi vel ipſum neutiquam detexeris corpus, tamen iſtius amotionem mox ex ſingulari irritationis dolorisque imminutione obſervabis, et tunc relicto oculo quietiore ab omni ulteriore oculi perſcrutatione erit abſtinendum.

§. 194.

Attamen corporibus alienis oculum irritantibus, praeſertim ſi acutiora et acuminatis lateribus praedita fuerint, ſymptoma frequens accidit, quo corporis amotio initio penitus impeditur, ſpaſtica nempe palpebrarum contractio, omnem oculi reſpuens aperturam. Vi mechanica nullo modo eam tollere valebis, et ſi vel initio tale quid conatus fueris, fructum tantummodo huncce inde percipies, ut inflammatio oculi mirum quantum exinde augeatur. Qua quidem occaſione remedium longe praeſtat, in reliquis ophthalmiarum ſpeciebus cane pejus et angue fugiendum, cataplasmata nempe ad emolliendum ex mica panis albi cum lacte

et pauxillo croci parata, calidaque oculo affecto impofita. Quando ex parte calorem amiferint, cum aliis calidioribus permutentur, donec dolores cum fpasmo ifto conjuncti evanuerint, atque imminuta fenfibilitate nimia oculi apertio minus impedita ulteriorem concedat et difquifitionem, et corporis alieni, fi fieri poterit, amotionem.

§. 195.

Ad incitamenta nunc tranfimus, chemica ratione oculum irritantia. Quodfi fluida fuerint, mere chemica ratione agunt, firmiora e contrario etiam mechanice fimul bulbum valent irritare. Duplex igitur ipforum amotio locum habebit.

Fluida ifta chemice irritantia pro diverfa acrimoniae ratione etiam varium exhibent laefionis genus. Non remanent in oculo, aut fi particulae remanferint, a lacrymis largiter profluentibus acritate deftituta mox ex oculo eliminantur. Quapropter nil aliud erit agendum, quam ut initio lacte tepido faepius oculi eluantur, atque deinde inflammatio refidua artis lege tractetur.

§. 196.

Attamen non femper fauftus erit ophthalmiae exitus, fi fluida acriora praefertim copia majore bulbum tetigerint. Etenim corneae ipfius perfpicuitas ipforum attactu perire folet, nec inflammatione fubfequente in integrum ipfam reftituere valemus. Interdum etiam interiora oculi organa eo modo gravius adficiuntur. Ita Beerius ex folo acidi mineralis habitu bulbum tangente in foemina cataractae originem in utroque oculo obfervaverat. Medicus igitur cautus fit in prognofi formanda, quando ejusmodi aegroti fanationem fusceperit.

§. 197.

Oculis calce viva aut phosphoro illapfis gravius femper exoritur periculum, cum et lacrymarum profluentium admixtio, et palpebrarum trituratio damnum ex utraque materia in oculum redundans foleant augere, nec confueta ratione corpora ifta fint

eliminanda. — Penicillo pinguedine mitiori fluidaque irrigato medicus corpuscula ſtudeat amovere, quae oculum tali modo irritant. Quibus caute et ſedulo peractis oculus ſaepius eadem pinguedine inungendus erit, atque deinde ophthalmia artis lege tractanda. Attamen etiam in tali caſu ſaepiſſime corneae perſpicuitas magis minusve peribit, nec, niſi minutiſſima fuerit particula corporis irritantis, ſemper, licet omnia recte fuerint peracta, in integrum reſtitui poterit. Quapropter et tunc prognoſi minus laetiore medicus utatur.

§. 198.

Haec de corporum alienorum oculum irritantium amotione in univerſum. Inflammatio oculi externa iis excitata pro vario gradu etiam diverſam poſtulat medendi rationem. Corpore mechanice tantum irritante, nec vulnere oculo inflicto, ſi corpusculum amotum fuerit, — etiam inflammatio ſponte nulloque remedio exhibito ceſſabit. — Vulnusculo autem in ſuperficie conjunctivae illato oculus aqua ophthalmica eluendus erit cum aqua vegetominerali Goulardi mixta. Unicus hic reperitur caſus, in quo ſaturninum majori copia oculo illatum uſum absque omni noxa ſubſequente praeſtabit. Quibus ſingulo die repetitis, oculus naturae ſanandus committatur, modo ſi graviora inflammationis phaenomena deſiderentur. — Quodſi vero ulcus unum alterumve obſidere bulbum inceperit, idque purulentum, aqua adhibeatur ophthalmica cum lapide divino et multo Laudano parata. — Rubore denique oculi per aliquod temporis ſpatium ſuperſtite oculus calore ſicco aut graviori in caſu etiam fomentis leviter aromaticis in integrum reſtituatur. Prius caloris genus linteoli quadruplici plicatura collecti ope, quod oculis imponitur, nutritur, calor aromaticus vero applicatione ſacculorum iſtorum leviter aromaticorum effici poterit.

§. 199.

Haec de Taraxeos idiopathicae ſanatione in univerſum. Quod

Chemosin attinet, ea primo in stadio multo feliciori successu evanescet, remediis parti affectae recte applicatis. Cum nimia systematis irritabilis actio in hacce inflammationis promineat specie; cum vasa sanguifera praesertim sedem exhibeant morbi, etiam ipsarum ante omnia ratio erit habenda. Ergo sanguinis evacuationes exhibebunt curae initium. Febre universali sat vehemente, pulsu duro, serrato, contracto una alterave praecedat venaesectio sat larga in pede manuve suscepta. Aegroti corporis ratio et febris inflammatoriae vehementia etiam copiam sanguinis emittendi et ipsam phlebotomiae repetitionem definire debent. Universali evacuatione rectius instituta etiam localis peragatur. Quatuor hirudines usque ad octo numero in vicinia oculi applicandae sunt, et ad angulum oculi internum, in ea quidem regione, ubi ossa nasi exsurgere incipiunt, et ad temporum partem angulum externum attingentem et in foraminis infraorbitalis regione. Denique etiam cultello cataractae extrahendae destinato tumoris ipsius in conjunctiva superficies largis sed non alte penetrantibus incisionibus aperiatur, ut et ipsa sanguinis in conjunctiva haerentis copia diminuta facilius inflammationis discussio peragatur. Locale sanguinis profluvium etiam aquae tepidae attactu maturetur, et eo usque continuetur, donec conjunctivae tumor admodum fuerit imminutus.

§. 200.

Interna praeterea aeger capiat remedia morbo consentanea. Capiat v. g. omni bihorio Pulpam Tamarindorum cum Cremore tartari mixtam, aut Emulsionem, cui aliquid nitri additum fuerit; denique etiam pediluvia, praegressis sanguinis evacuationibus, semel in die ingrediatur.

Imminuto conjunctivae per sanguinem effluentem tumore, aqua oculus lavandus erit ophthalmica cum Laudano et mucilagine parata et calor siccus linteolo imposito adplicetur, — donec doloris ipsius sopita fuerit vehementia, atque puris excretio in ipsa inceperit oculi conjunctiva. Quorum symptoma-

tum incessu mox inflammatio magis magisque regressa simplicis denique exhibebit Taraxeos formam. Quae et lapidis divini solutione tenuiori multoque Laudano mixta, et sacculorum discutientium usu extincta oculum plane sanatum restituet.

§. 201.

Medicus denique ad secundum Chemoseos stadium accessitus prognosi admodum infausta exhibita methodum medendi paullulum immutatam instituat. Respiciat non tam ad inflammationis ipsius vehementiam, quam potius ad secretionis jam incipientis gradum. Sanguinis evacuationes quidem, nisi perfectus adsit ophthalmoblennorrhoeae gradus, etiam tunc instituantur, et universales et topicae, sed iis peractis ad secretionis abnormis extinctionem praecipuum spectabit sanandi consilium. Aegrotus aqua ophthalmica utatur cum multo Laudano parata, et sacculorum discutientium, eorumque fortiorum ope vasorum jam atonicorum peragatur in integrum restitutio. Semel praeterea singulo die Laudanum purum penicillo inungatur. Interne aegrotus quater per diem gran. j—ij Calomelanos cum gran. β Opii capiat, et in usu hujus remedii pergendum erit, donec etiam oculi inflammatio fuerit extincta, et ipsa ptyalismi incipientis symptomata apparuerint.

§. 202.

Morbo nondum ad talem gradum adaucto, nec cum iritide aut totius bulbi inflammatione conjuncto — aegroti sanationem semper fere felici successu peragere valemus. Quando autem reliquarum quoque partium inflammatio malo adjuncta fuerit, vix felicior eventus sperari poterit cum iritidis cum chemosi junctae sanatio multo difficilior reperiatur, et ipsa retinae per inflammationem internam laesio saepissime visus ipsius per amaurosin adducat extinctionem. Felix igitur medici sanatio tunc in eo posita videtur, ut visu abolito ipsam servet oculi formam. Quae quidem spes etiam successu saepius destituta erit felici, atrophia oculi

talem mox inflammationis gradum excipiente. — Quae omnia ſub ipſum curationis initium aut prognoſin exigunt penitus infauſtam, aut dubiam ſaltem requirunt atque ambiguam.

Chemoſi vero in perfectam Ophthalmoblennorrhoeam transgreſſa, cura in capite de Ophthalmoblennorrhoea exhibita locum habebit. Attamen noſtra aetate hominibus debilioribus aut majore praeſertim membranarum mucoſarum debilitate inſtructis talem ſaepiſſime obſervabis morbi tranſitum, multoque frequentiorem, quam alias poterat obſervari.

§. 203.

Chemoſeos ſtadio ſecundo felici jam eventu ſanato etiam hic inflammationis gradus ſub ipſo ſanationis tempore in Taraxin abit. Quae ſi facta fuerint, etiam medendi methodus ſimili ratione immutetur. Solutione lapidis divini cum multo Laudano parata et calore aromatico homo utatur. Attamen tunc ſacculi iſti diſcutientes majorem contineant aromatis copiam, i. e. inſigniorem Camphorae vel ſimilium quantitatem, cum major ſit vaſorum et membranarum debilitas ſananda.

LIBER NONUS.

De Ophthalmia interna ſive Iritide.

§. 204.

Ad internam accedo oculi inflammationem ſeu Iritidem, uti a partis oculi in ea inprimis affectae nomine inter nos celebratur. Gravius eſt malum et admodum periculoſum. Etenim non ſolum prae omni alia ophthalmiarum ſpecie exitu minus fauſto aegrotum viſu deſtituit, ſed ipſius etiam medici ſaepius eo modo eludere ſolet diligentiam, ut morbi ratio interdum vel ab exercitatiſſimo quoque non ſananda deprehendatur. Sedes mali prae-

ſertim in partibus oculi interni haeret maxima vaſorum copia inſtructis, i. e. in iride, corpore ciliari ejusque ſingulis partibus, ibidem ſymptomata etiam ſingularia edit, et varios inflammationis exitus producit.

§. 205.

Cauſae morbi remotae in ſingulari poſitae ſunt partium oculi laudatarum et totius bulbi ad cauſas inflammationem producentes reniſu (reactione), uti in aegris videmus, qui admodum ſenſibiles, et infirmitate vaſorum in toto corpore abnormi laborantes una motum iridis in lumine pigriorem magisque lentum exhibere ſolent. Cauſae vero data occaſione ortae (occaſionales) reperiuntur eae, quae ſingulari modo partes hasce oculi internas adficiendo talem accelerant ipſarum reactionem, quae cum inflammatione conjuncta apparet. In quarum numero reperiuntur et eae cauſae, quae imprimis hasce adficiunt partes, uti operationes chirurgicae in oculo, extractio praeſertim cataractae minus feliciter peracta, vel luminis nimia in oculum effuſio, vel inflammationes oculi externae et initio minore cum periculo conjunctae, quae vero minus recte tractatae etiam ad interiores oculi partes tranſire ſolent, ibique iritidem adjungunt antecedenti.

§. 206.

Decurſus Iritidis genuinae talis reperitur. Primo in ſtadio morbi vehemens adeſt oculi et totius orbitae dolor, cum rubore bulbi multo minore, quam pro vehementia ſymptomatum conjiciendum eſſet. Attamen rubor iſte aequali modo diffuſus reperitur. Photophobia primo jam adeſt morbi initio, eaque tanta, ut mox viſus facultas admodum imminuta ſub morbi incremento penitus evaneſcat. Praeterea aegrotus ſcintillas ante oculos conſpicit volitantes, aut de quodam fulgurationis ſenſu conqueritur, quae ambo morbi vehementiam ejusque effectus in retinam portendnnt. Pupilla magis magisque anguſtatur, aequali tamen ubique ambitu, cum ipſius exſudationes eam in ſecundo tantum ſtadio,

vel in iritide fiphilitica, de qua quidem in fequentibus nobis dicendum erit, reddant deformem.

§. 207.

In primo praeterea morbi initio iris, fi color ipfius immutatur, morbi denotare folet et vehementiam et fedem. Confuetus ejus color eo modo immutatur, ut in caeruleis et glaucis oculis viridi fimilior, in badiis et nigricantibus vero rubens confpiciatur. Quae coloris in iritide immutatio primo in margine iridis interiore, feu toto feu in parte ipfius tantum initium capit, deinde fub mali incremento ulterius extenfa per totam tandem iridis fuperficiem extenditur. Quod fymptoma in locis iridis morbo affectis immutatum vaforum denotare folet renifum.

Sub primo jam inflammationis initio mobilitas in iride perit. Firma manet atque immobilis fub quovis luminis incitamento. Praeterea haecce membrana corneae magis appropinquat, et ad corneae rationem in fuperficie ejus anteriore paullulum acuminatam coni formam prae fe fert. Caufa hujus phaenomeni vel in orto iridis ipfius tumore, vel in humoris aquei pofita videtur imminuta fecretione.

§. 208.

Secundum iritidis ftadium ex fecretionis abnormis in oculo initio cognofcitur. Diverfa illa eft ex aegrotantis hominis ratione atque vi plaftica in oculo vario modo excitata. Modo materia purulenta ex inflammata iridis fuperficie fecreta in cameris oculi apparet, et ibi hypopion producit, modo abfceffus in ipfa apparet iride, ibique vel ruptus pus effundit, vel denuo reforptus evanefcit, modo loco materiei purulentae plaftica lympha fecernitur, atque iridis cum capfula lentis concretionem aut ipfam adeo iridis atrefiam producit.

§. 209.

Morbo in Hypopion definente fub doloris ipfius remiffione

et quadam febricula accedente primo exiguam materiae purulentae copiam in inferiore camerae oculi anterioris parte effuſam obſervamus. Quae deinde ſub mali incremento magis magisque accumulatur, ad pupillam usque adſcendit, eoque modo tandem utramque cameram ſic replere valet, ut cornea ab omni parte albida ſeu potius flaveſcens eſſe videatur. Conjiciendum eſt, ſub prima Hypopii origine etiam pus in camera poſteriore effuſum haerere, quod quidem ſub initio minus bene cognoſcendum mox ſub mali incremento per pupillam apertam purulentae materiae in camera anteriori haerenti admixtum tunc demum nobis hypopii exhibet totius adſpectum.

§. 210.

Diagnoſis praeſentis in camera oculi puris difficilior eſt, quam vulgo medici credunt. Etenim ſpiſſa ejus natura impedire ſolet, quo minus conſilium illud tralatitium, quo ſub capitis motu etiam motum purulentae in oculo materiei obſervari dicunt, in omni aegroto cum fructu adhiberi poſſit, praeſertim ſi, uti Himly recte adnotavit, pauca ejus copia adeſt, et in extremis iſtis haeret camerae anterioris anguſtiis, quae a cornea et iride inter ſe junctis formantur. In omni tali caſu diagnoſeos minus certae caput in jacentis corporis ſitu per longius temporis ſpatium declive atque inverſum teneatur. Tunc demum ſperandum erit, ut ſpiſſa materia locum ſuum valeat immutare, et ad latera corneae arcus inſtar effuſa medicum de hypopii praeſentis natura reddat certiorem. Quando enim inter corneae laminas, minime vero in cameris oculi effuſa haeret materia purulenta et ſub diuturno ejusmodi capitis ſitu obſcuratio iſta ſitum priſtinum mutare nequit, quae originem a pure effuſo ducebat.

§. 211.

Simile quid notandum erit de facta puris inter corneam ejusque conjunctivam effuſione. Niſi quod ea etiam ex ſuperficie conjunctivae in loco obſcurato plus minusve prominente cognoſcatur.

Denique etiam ab ulcere purulento inferiorem corneae ſuperficiem exedente hypopion eſt diſcernendum. Habes in tali exulcerationis caſu et immobilem obſcurationem, et ſi ea a latere adſpiciatur, ſuperficiem corneae exeſam et foveolam quandam referentem, et formam obſcurationis imparem quaſi et irregularem, cum pus in camera effuſum regularem ſemper arcus formam ſpectatori valeat exhibere. Semper etiam tale ulcus externa oculi inflammatio una comitari ſolet.

§. 212.

Quodſi hypopion tali modo accreverit, ut et pupillam ipſam et ſuperiorem iridis marginem obtegere incipiat, et cornea maxima ex parte obſcurata conſpiciatur, dolores, qui antea imminuti animadvertebantur, majore cum vehementia redeunt, et cum bulbus, ſeu potius cornea magis magisque a pure accumulato extendatur, immane quantum augentur, donec tandem cornea, quae interea temporis, uti conjiciendum erat, etiam inflammatione et puris ſecretione fuerat correpta, in media atque debiliore ipſius parte rumpatur, atque miram puris cum ſanguine et partibus oculi internis mixti fundat copiam. Bulbi reliquiae tali in caſu collapſae oculum referunt atrophicum, donec tandem penitus evaneſcat.

§. 213.

Alter iritidis exitus nititur in abſceſſu in ipſa iride ſuborto. In ſecundo morbi ſtadio apparet tumor quidam flaveſcens ſeu albidus, qui in parte iridis, cujus color jam inflammatione mutatus eſt, locum tenet ſuum. Situs ipſius incertus reperitur. Attamen frequentius in margine iridis interno, ſeu in ejus vicinia reperitur, cum ibidem frequentior reperiatur inflammationis ſedes, et cum externus ejusdem membranae circulus raro inflammatus ſit, ſi graviſſimos iritidis caſus exceperis. Cum ipſius abſceſſus origine etiam reliqua perſeverare ſolent inflammationis ſymptomata, et conjici poteſt, cum ipſius origine non

tanta accedere doloris levamina, quanta cum illo iritidis in hypopion tranſitu obſervare licebat.

§. 214.

Plerumque vero abſceſſus iſte non ſolus adeſt, ſed vel plures obſervantur puris intra laminas corneae collectiones, vel hypopion verum, vel ſaltem, uti ſaepiſſime obſervare licet, tertius una adeſt infauſtus in iridis inflammatione exitus, exſudationes nempe in margine interno magis minusve inſignes.

Abſceſſus iſte in iride duplici ratione finitur. Vel rumpitur, uti ſaepiſſime fit, pauculam purulentae materiei copiam in anteriorem oculi cameram fundens, et tunc abſceſſus iſte per humorem aqueum repletus pedetentim ſanatur, — vel, quod quidem rarius, nec ſine aptiori medendi methodo locum habebit, abſceſſus pure denuo reſorpto ſub inflammationis ipſius degreſſu iterum evaneſcit. Uterque mali exitus facile cognoſcendus erit, nec, ſi ſaltem nullum aliud adſit in oculo malum, pericula oculis aegris adferet majora.

§. 215.

Tertius denique infauſtus iritidis exitus in exſudatione nititur, internum ejus marginem magis minusve obtinente. Cognoſcitur ex iritidis ſignis una praeſentibus et ſequentium ſerie ſymptomatum. Margo iridis interior inaequalis redditur, atque fit rugoſus. Regio camerae poſterioris, ubi eminentiae iſtae, ſeu inaequalis in iride ſuperficies obſervantur, ſimul nebula quadam obtecta reperitur. Quo magis nunc inaequalis adeſt iſte pupillae margo, quo magis contractus apparet, eo magis obſcuratio iſta in camera poſteriore augetur, donec penitus pupillam occludat. In graviori malo etiam obſcuratio intenſior fit, fibrae albae in ipſius ambitu diſtincte cognoſcuntur, ab uno marginis pupillaris latere ad alterum tranſeuntes, et perfecta pupillae occluſio ex membrana iſta remanet obſcura, quae

diſtantes iridis particulas inter ſe jungens luminis radiis omnem occludit ad retinam acceſſum.

§. 216.

Iſtae exſudationes, ſi varium illarum gradum ſpectaveris, diverſae reperiuntur. Interdum leviores ſunt, atque acceſſum luminis radiorum ita admittunt, ut homo ſaltem diem a nocte et lumen a tenebris oculo hocce obcoecato diſcernere queat. Tunc non tam denſa gaudent ſtructura, uti major eam exhibet mali gradus. Interdum autem tanta adeſt exſudationum copia, ut omne repleant camerae poſterioris ſpatium atque vel minutiſſimo aegrotos privent luminis ſenſu.

Denique etiam iridis forma in iritide tali modo immutatur, ut ſub finem inflammationis corneae arcte adpoſita reperiatur, cum camerae anterioris magis minusve perfecta extinctione. Rarius tunc vera adeſt corneae cum iride concretio. Saepius tantummodo utriusque ſuperficies ſibi invicem adpoſita reperitur. Saepiſſime etiam viſus illaeſus, pupilla integra et oculi forma una adeſt priſtina atque ſana. Cauſa illius mutationis morboſae ſine dubio latet vel in concretione iridis in iritide cum poſteriore corneae ſuperficie facta, vel ſi non concreta, ſed potius ipſi adpoſita reperitur, in ſingulari quadam ipſius debilitate ſeu laxitate, quae ex inflammatione reſidua ſitum ejus priſtinum immutaverat, eamque corneae reddiderat propiorem.

§. 217.

Ad prognoſin nunc nos convertamus, antequam cura mali propoſita fuerit. Morbus tam gravis etiam ſemper medici praedictionem reddat cautam, et, niſi certiſſima adſint eventus proſperi indicia, ſaltem ambiguam. Meliora erunt ſperanda, ſi medicus in primo ſaltem ſtadio accedit, rectamque morbi curam adhibere ſolet, cum contra ſecundi ſtadii tempus ſumma portendat pericula. Magis fauſta ſperanda erunt, ſi primum morbi ſtadium habet locum in homine alias ſano, vegeto et bene

nutrito. Contra aeger ſaepius medici conamina vel in primo morbi fruſtrabitur ſtadio, ſi pauper eſt et egenus, ſi eam ob cauſam et corpore gaudet minus bene nutrito, et medici, uti plerumque fieri ſolet, praeceptis non recte obedit, ſi in cubiculo decumbit anguſto et exhalationibus impuris referto, ſi cachecticae corporis conditioni eſt obnoxius, vel ſi morbo francogallico vel impetiginibus eſt affectus. Denique etiam oculi et incitamenti iritidem producentis ratio medici animo in prognoſi rectius conſtituenda obverſabuntur.

§. 218.

Oculus jam antecedentibus ophthalmiis debilitatus, vel ex parte atrophicus vel incipiente humoris vitrei diſſolutione laborans, uti tale quid ex mollitie bulbi juſto majore cognoſcimus, vel denique vaſis majorem in modum irritabilibus inſtructus, uti tale quid ex nimio et celeriter ſuborto bulbi rubore intelligere vales, bulbum ſi digito caute tetigeris, — ſemper iritidis triſtiorem portendit exitum, niſi alia ad prognoſin nos incitare valeant feliciorem et medicus in primo accedat morbi initio. Oculum vero ſi ſanum habes, et morborum modo laudatorum expertem, etiam meliora in cura morbi recte inſtituta nobis ſperare licebit.

§. 219.

Denique etiam efficiens iritidis cauſa erit reſpicenda. Quò gravior iſta in bulbum egerat, eo vehementior etiam accedet iridis inflammatio. Omnes vehementiores bulbi laeſiones, praeſertim vero extractio cataractae minus feliciter peracta frequentiſſimam exhibet morbi laudati cauſam. Extractio eam ob cauſam facilius iritidem excitabit, cum inprimis iridem laedat, atque marginem ejus internum, cum iſte per cataractam e bulbo exemtam magis minusve extendatur, et comprimatur, — et cum, uti frequens me docuit experientia, iridis laeſiones ex preſſione ortae praeſertim noxiae ſint et iritidis originem maturent, quip-

pe vulnera inſtrumenti acuti ope inflicta vel plane nulla pericula adducant.

§. 220.

Denique etiam caſus reperiuntur cataractae ſingulares, qui ſemper et in homine ſano et in bulbo alias integerrimo iritidem, ſi cataracta extrahitur, producunt. Quales ſunt omnes eae lentis obſcurationes, quae loco ſecretionis abnormis ſubortae ſemper oculum ad tales inflammationes proclivem reliquerunt, uti ex Schmidtii obſervatis cataracta cum burſa ichorem continente, et omnis ſuffuſio cum vehementi capitis dolore aut ophthalmia graviore ſuborta. Huc denique pertinent omnes iſtae lentis vel capſulae obſcurationes, quarum amotio per extractionem difficulter tantum, nec ſine partium oculi, iridis imprimis laeſione peragitur graviori. Quales ſunt prae caeteris cataractae cum iride magis minusve concretae aut in capſula poſteriore locum habentes.

§. 221.

Quod curam attinet mali, ea quidem primo in ſtadio duplici nititur indicatione, qua et inflammationem partis diſcutientium ope ſedamus, et nimiam iridis expanſionem pericula viſui afferentem minuere ſtudemus.

Priorem quod attinet indicationem, ea raro quidem vel nunquam ſanguinis evacuationibus indiget, ſi aegros iſtos exceperis, in quibus ophthalmia externa atque conjunctivae vehementior inflammatio iritidi adjungitur. Tunc et conjunctivae ſcarificationes lanceola factae et hirudinum adhaeſio utilitatem praeſtabunt, et aqua ophthalmica ſimplex cum Laudano de meliori nota commendanda erit.

Quando autem iritidem curaveris ſimplicem primo ſinapismus nuchae, atque deinde rubente ibidem cute brachiis ſimili modo, ut ruborem tantum excitet, imponatur. Eodem tempore, quo ſanguinis collectionem ad alia, eaque vicina organa tali

modo excitare studemus, etiam eam ab oculo discutientium localium et universalium usu amovere debemus. Quod peragitur impositione sacculorum aliqua ex parte aromaticorum, peragitur etiam mercurii usu cum interno tum externo. Capiat aegrotus quater per diem gran. j. Calomelanum, et bis quovis die regioni supraorbitali unguentum neapolitanum pisi majoris magnitudine inungatur.

§. 222.

Altera indicatio nititur in remediorum nimiam iridis expansionem imminuentium usu. Quae quidem nostra aetate cum felicissimo successu Schmidtius aliique celebriores viri in sanatione iritidis exhibuerunt, et mea me experientia de ipsorum utilitate tali in casu reddidit certiorem. Cum Belladonnae usus non ita periculi expers habeatur, uti blandior Hyoscîami actio, etiam posteriorem, si Extractum ejus bene paratum adsit, priori tali in casu anteponendum esse censeo. Itaque exhibeatur Hyoscîamus et externo et interno usu. Externe Extractum ejus in aqua solutum [1]) omni bihorio oculis affectis simili modo imponatur, uti hoc cum aquis ophthalmicis peragi solet. Quo modo perpetuum iridis ad contractionem excitamus nisum, atque eo modo symptoma istud opprimere studemus periculosum. Attamen quo longius fuerit tempus, per quod jam extractum istud oculis fuit impositum, eo majori etiam dosi exhibendum erit, oculo ipsius usui jamjam adsueto. — Cum insigni praeterea effectu nonnullis aegrorum meorum emplastrum cum extracto Hyosciami paratum regioni applicavi et supra- et infraorbitali, eo quidem consilio, ut nervi per hancce regionem ad bulbum ipsum et praesertim ad ganglion ciliare et iridem commeantes effectum remedii persentiscant laudati.

§. 223.

Quod internum attinet in iritide hyosciami usum, ille quidem per se et solus neutiquam morbi vehementiam poterit im-

[1]) ℞. Extr. Hyosciami ʒß. Solve in ▽e Rosar. ℥j. D.

mutare. Attamen cum externa medicamenti adplicatione junctus rarius ſpem fallere poterit in ipſo poſitam. Homo ſecundum ſenſibilitatis et corporis rationem omni bihorio gran. j — ad jv. extracti hyoſciami capiat, quod quidem optime, ſi etiam alia ipſi jam exhibeantur medicamenta, hisce addi poterit.

§. 224.

Verum quaedam mihi addenda videntur, quae in uſu ejus medicamenti experientia duce obſervavi, et quae me hucusque retinuerunt, quominus de certiſſima ejus ope in iritide mihi ſemper haberem perſuaſum. Vidi in talibus aegrotis quidem opem ex hyoſciami uſu primis morbi temporibus allatam. Attamen, ſi vel iritidem ſanaveris, mox in nonnullis aegrotis recurret, et quidem majore cum vehementia atque celeritate, ut vix ac ne vix quidem in tali recidiva effectus minus fauſti ejusdem morbi poſſint evitari. Puto igitur, virtutem ejus medicamenti non tam in ſanando, quam potius in malo per aliquod temporis ſpatium opprimendo cerni, et auxilium quidem exhibere in ejus ſanatione, minime vero perfectam ſemper et expectatam ferre opem.

§. 225.

Symptomata, quae in oculo alias ſano extractum hyoſciami producit, uti omnes ſcimus, in nimia iridis contractione atque pupillae dilatatione nituntur. Attamen alia ſunt, quae in oculo iritide adfecto tali modo adparent. Iris mirum quantum expanſa ex hyoſciamo parum contrahitur. Attamen non amplius expanditur, ambitum retinet, quem ſub prima hyoſciami retinuerat adplicatione, et ſic majores morbi progreſſus in atreſiam et exſudationes tendentes hoc remedium infringit, viſusque facultatem tali modo conſervat.

§. 226.

Morbi phaenomena, ſi primo in ſtadio tali modo recte ſanatur, pedetentim decreſcunt. Pupilla non amplius contrahitur

dolores oculi et capitis magis magi que imminuuntur, visus facultas redit, photophobiae signa evanescunt. Scintillarum et fulgurationis ante oculos sensus non amplius aegrotos vexat, et rubor bulbi, qui jam antea levior fuerat, penitus amovetur.

Cautus sit aegrotus in tam felici primi stadii exitu, si perfectam oculi sanitatem accelerare et malum recidivum evitare decreverit. Luminis radiis pedetentim tantum aegrotus exponatur, ut cubiculi tenebrae in dies magis magisque imminuantur. Vulnera cutis vesicatoriis aut sinapismis illata per certum temporis spatium pus fundant atque maneant aperta. Hyosciami applicatio per aliquod temporis spatium morbo jam sanato continuetur, et calore sicco robur oculi necessarium restituatur.

§. 227.

Praeterea etiam, si iritis paullo gravior adfuerit, ipsa vel recte sanata symptomata quaedam remanent quae ipsius membranae pristinam produnt affectionem. Etenim vel mobilitas in iride multo minor adest, quam ante iritidem ortam poterat observari vel etiam plane periit. Symptoma istud nititur in exsudationibus lymphaticis marginem iridis interiorem tali modo occupantibus, ut oculorum acie quidem conspici nequeant, motum tamen iridis magis minusve infringant. Interdum sanitate oculi diutius continuata denuo resorbentur exsudationes istae, atque iris pristinam ex parte recuperare valet mobilitatem. Interdum vero structuram adeptae sunt fibrae istae firmiorem atque arctius cum ipsa cohaerent iride. Habes inde haud intermissam iridis immobilitatem, quae iritide nova accedente multo majora parare valet pericula, cum pars inflammata jam ad exsudationes prona reperiatur, atque facilius citiusque pupillae adferat atresiam.

§. 228.

Nunc ad medendi methodum transgrediendum erit, quae in secundo exigitur iritidis stadio, ubi inflammationis vehementia secretionis abnormis initio terminatur. Uti jam supra adnotavi-

mus vel hypopion, vel abſceſſus in iride, vel denique exſudationes lymphaticae plus minusve inſignes atque internum iridis marginem occupantes in ſecunda hacce periodo apparent. Secundum cujuslibet ſecretionis differentiam etiam diverſa erit medendi methodus, primi tamen ſimul ſtadii habita ratione. Remedia primo ſtadio aptata etiam in ſecundo de meliori nota commendanda erunt ut nempe etiam inflammatio diſcutientibus ſedetur, eoque modo et ſecretioni abnormi finis imponatur, ſimulque iridis nimia impediatur expanſio. Ergo ſinapismi ad nuchas et dein ad brachia, donec ruborem excitaverint, poſiti, caloris aromatici ad oculos adplicatio et extracti hyoſciami uſus cum internus tum externus in ſecundo morbi ſtadio et in ſecretione cujusvis generis ſuborta continuandus erit, ſi feliciori ſucceſſu reliqua cuique ſecretioni aptata decreveris exhibere.

§. 229.

Hypopio exorto reſpiciendum erit ad puris ſecreti copiam. Quam ſi minorem obſervaveris, ut pupilla ipſa nondum ſit obtecta, et materies inferiorem tantum camerae anterioris partem, aut ſaltem inferius tantummodo pupillae latus occupaverit, puris reſorptio feliciſſimo cum ſucceſſu erit peragenda.

Quo quidem conſilio praeter remedia in primo jam ſtadio exhibita aqua ſimplici ophthalmica cum multo Laudano parata oculus omni quarta abluatur horae parte et Laudanum ipſum ex morbi gravitate aut vehementia ſemel vel bis in dies inungatur.

§. 230.

Quibus peractis et puris reſorptione tali modo orta et continuata, ut etiam illa puris particula, quae in infima haerebat camerae anterioris parte evaneſcat, denuo medicamentis continuanda erit curatio, primo jam morbi ſtadio exhibitis, donec omnia inflammationis ſymptomata conſueta ratione evanuerint.

Hypopii vero vehementia graviorem ad gradum excitata, ut omnem obtegat pupillam, ut camera tota pure repleta ſit, et om-

nis cornea a pure ſub illa collecto ſubflava reperiatur, iis medicamentis, quibus major vaſorum lymphaticorum actio excitatur, et quae ſic inflammationis promovere valent diſcuſſionem, neutiquam medicus opem ferre poterit. Uti ſaepius in hydrope paracenteſi peracta diureticis ſanitatem reſtituere valent medici, ita etiam in hypopii tam gravis gradu ex puris evacuatione tantum ſalus erit ſperanda. Qua quidem per corneae inciſionem peracta medendi methodus in hypopii levioris gradu ſupra propoſita locum habere debet, et diſcutientia uſum praeſtabunt meliorem. Attamen ad vulnus corneae tunc reſpiciendum erit. Quodſi adhuc apertum reperiatur, ab aqua abſtineas ophthalmica ſola Laudani puri inunctione confiſus.

§. 231.

Praeterea corneae inciſio cauta manu et ita peragatur, ut parva ſit, nec talis uti in cataractae extractione. Etenim tunc ſemper fere lentis timenda erit prolapſio et viſui majus periculum. Tale quid autem non locum habebit, ſi vulnus corneae minore gaudet ambitu, qualis eſt illius, quod ad peragendam Beeri Coretonectomiam infligitur. Quae etiam minore ambitu praedita eſſe debet ut lentis prolapſio aut ſitus ejus mutatio eo modo vitetur.

Parvum vulnus corneae ſemper tali in hypopio ſufficiet. Etenim tota camera pure referta eſt, quod, ſi vel ſpiſſius reperiatur, tamen ob pondus proprium et propter oculi agilitatem motumque per corneam prodibit in inferiore parte apertam. Fruſtrabitur tantummodo tali in caſu medici expectationem, ſi multo minor puris copia in cameris effuſa fuit; ſed tunc etiam inciſio corneae plane non neceſſaria inſtituebatur, ſolo diſcutientium uſu oculi ſanitatem reſtituente.

§. 232.

Attamen cautus ſit medicus in prognoſi formanda, ſi in tali hypopio vehementiori corneae inciſionem peragere fuerit coactus.

Etenim, ſi vel hypopion feliciter deinde ſit ſanatum, ſi lens ex inflammatione integra manſerit, et omnes alii deſint pernicioſi vehementioris iritidis effectus, — tamen in plurimis caſibus pure in tota camera anteriore effuſo et inflammatione cornea, ſeu ſaltem laminae ejus internae correptae fuerunt, ideoque obſcuratio ejus ſanata iritide atque hypopio remanet; quae ſemper viſus turbationem adducit magis minusve vehementem, nec tam facile ſanari poterit, cum obſcuratio raro in maculis, ſaepius in cicatrice corneam obtinente poſita reperiatur.

§. 233.

Quod alteram attinet ſecretionis abnormis ex iritide ſpeciem, ea in abſceſſu iridis ipſius poſita, ſi quidem ſola adeſt, multo minus adfert oculo periculi. Saepiſſime quidem rumpitur, atque effuſo pure hypopion format, quod vero ob exiguam puris copiam mox reſorbebitur. Medendi methodus exhibeatur in primo iritidis ſtadio et in hypopio incipiente propoſita, aqua ophthalmica cum Laudano, ſicuti et ſolutio extracti hyoſciami, ſinapismus brachiis et nuchis adplicatus, ſacculique diſcutientes oculo impoſiti. —

Rupto abſceſſu pedetentim puris reſorptio procedet cum ipſa ſimul inflammationis in iride extinctione. Abſceſſus etiam perpetuo humoris aquei confluxui expoſitus mox ſanatur, et copiam puris fundere deſinit. Interdum etiam, ſi opportuno tempore curam adhibueris puris peragitur in abſceſſu reſorptio absque ulla ejus ruptura, atque parietes abſceſſus denuo concreſcunt.

§. 234.

Quod denique curam ſpectat tunc temporis inſtituendam, ſi lymphae coagulari ſolitae exſudationes locum habuerint, ea nititur in ipſius inflammationis extinctione, et ſi ea penitus fuerit peracta, in majore vaſorum lymphaticorum ad actiones ſuas incitatione. Quo modo fieri poterit, ut ſi exſudatae particulae minus cum iride atque vaſis ipſius cohaereant, minusque vita propria

ſint inſtructae, tandem etiam ambitus ipſarum imminuatur, et illae penitus evaneſcant. Praeterea ſimul remedia, quae priſtinam iridis contractionem magis magisque excitant, atque tali modo etiam ſeparationem membranae a fibris exſudatis et ipſarum, ſi fieri poſſit, disruptionem maturant, erunt adhibenda.

§. 235.

Si exſudationes in iritide inceperint, inflammatio conſueta ratione tractanda erit, et ſacculis diſcutientibus, et ſinapismis rite adplicatis et mercurii uſu cum interno tum externo, extracto denique hyoſciami, quo minus iridis expanſio fiat periculoſa. Rarius jam, talem ſi medendi methodum rite fueris exſecutus, exſudationes locum habebunt viſui periculoſae. Quando autem adfuerint, vel ſi ad aegrotum minus recte ſanatum accedas, ipſa exſudationum, ſi fieri poterit, extinctio, oppreſſa demum oculi inflammatione, maturanda erit.

§. 236.

Quando hoc peragere decreveris, id quod remediis concitatur et vaſorum abſorbentium actionem promoventibus, et iridis ſimul contractionem efficientibus, ante omnia ad ſtatum reſpicias exſudationum, earumque ſtructuram atque copiam.

Exſudationes ſi nimis denſae reperiuntur, omnemque pupillam tali modo occludentes, ut telam forment albam atque denſam, nec ſingulis ſtriis albidioribus intertextam, rariſſime tali modo amoveri poterunt. Medicus ejusmodi in caſu, ſi reliqua ſigna adfuerint, quae feliciorem pronunciant eventum, ad pupillae artificialis tranſeat operationem, eoque modo homini viſum reſtituere ſtudeat.

Simili modo non ſolum cura paullo poſt deſcribenda, verum etiam pupillae artificialis operatio incaſſum inſtituentur, ſi exſudationes non ſolum locum pupillae priſtinum, verum etiam totum camerae poſterioris ſpatium et lentis praeſertim ſuperficiem anteriorem tali obtinent modo, ut omnis luminis ſenſus in oculo

affecto fuerit extinctus. In utroque igitur caſu modo laudato fruſtra aegrotus viſus ſperabit recuperationem.

§. 237.

Contra vero exſudationes in interno iridis margine locum habentes, ſi ſanandae ſunt, ejusmodi viſus relinquunt facultatem, quae non ſolum diem a nocte, verum etiam corporis majoris ambitum et formam diſtincte cernere permittunt, et quae nebulam modo leviorem viſui obducunt. Praeterea etiam coloris exſudationum ratio erit habenda. Nimia ipſarum albedo rarius feliciorem promittet curae ſucceſſum.

§. 238.

Localis praeterea cura oculum requirit alias penitus ſanum, nec atrophia et humoris vitrei diſſolutione, nec hydrope, ſtatu vaſorum varicoſo, glaucomate aut ſimili quodam malo adfectum.

Exſudationes, uti jam ſupra adnotavimus, medendi methodo extinguuntur, duplici quae nititur indicatione. Et vaſorum in oculo abſorbentium vis augenda, et ſimul remedia applicanda ſunt, quae iridis una promovere ſolent contractionem.

§. 239.

Ad vim vaſorum abſorbentium excitandam magnopere conducunt unguenta cum mercurialibus, mercurio praeſertim praecipitato rubro parata, quibus aegrotus conſueto utatur more.

Inflammatione oculi penitus extincta aeger unguento cum octo granis mercurii et uncia dimidia butyri parato uti incipiat. Omni veſpera, ſeu etiam bis per diem et mane et veſperi illinatur. Senſibilitate oculi tali medicamento magis aſſuefacta, quod quidem ex minore oculi rubore et dacryoſtagia unguenti applicationem ſubſequente cognoſcitur, in illo mercurii doſis pedetentim augenda erit. Quo quidem augmento non ſaepius indigebit, exſudationibus mox magis minusve extinctis.

§. 240.

Una vero remedia oculo adplicanda erunt, contractionem in iride excitantia. Utilitatem ipſorum tali in morbo inter plures aegrotos tantam vidi, ut ſine iis fere nunquam ad ipſarum exſudationum accedam ſanationem. Ipſorum enim uſu viſae mihi ſunt exſudationes citius extinctae, cum fibras exſudatas magis minusve iridis extendat contractio, eoque modo et tenuiores reddat et ad ipſam abſorptionem aptiores.

Conſueto more indicatio peragitur ſi ſolutionem extracti hyoſciami modo ante laudatam hora poſt unguenti mercurialis uſum praeterlapſa oculo admoveas. Si vel non manifeſta in iride locum habuerit contractio, tamen niſus ad illam in ipſa excitari ſolet, qui quidem etiam ad feliciorem conferet curae progreſſum. Quando haec quidem remedia utilitatem attulerunt, jam hyoſciami applicatio cura mali felicius jam procedente, nec tali ad abſorptionem ſtimulo indigente oculo, poterit omitti.

§. 241.

Caeterum, licet feliciori ſucceſſu exſudationum inſtituta fuerit extinctio, tamen non ſemper perfecta locum habebit. Saepius tantummodo pars ipſarum abſorbetur, reliquis integris remanentibus, atque viſui impedimenta objicientibus non ſuperanda. Tale quid cognoſcitur, ſi viſus facultas ſub unguenti laudati uſu non amplius augetur, nec, quantum oculi acie poterit diſtingui, copia decreſcit exſudationum.

Tali in caſu ab omni abſtineatur remediorum uſu, et oculus relinquatur intactus. Satius erit, ſi oculi affecti viſum, licet non penitus ab omni vitio liberum, tamen paullo reddideris meliorem.

LIBER DECIMUS.

De Bulbi totius inflammatione, seu de Ophthalmitide idiopathica.

§. 242.

Sub Ophthalmitidis proprie sic dictae nomine inflammationem oculi comprehendimus, quae omnia bulbi ipsius organa, omnesque ipsius partes, quibus constat, una corripuit. Ab iritide in eo differt, quod in hac modo iris atque corpus ciliare sedes mali observetur, a chemosi vero, quod haec externas tantum corripiat oculi membranas. In ophthalmitide vero et interna bulbi organa, retina praesertim atque choroidea affecta sunt, atque iritidis et chemoseos symptomata simul observantur. Ab orbitae vero et glandulae lacrymalis inflammatione in eo differt, quod bulbus in hisce non sub initio laesus sit, sed sub mali demum incremento, quod ejus functionem et formam attinet, incipiat laedi.

§. 243.

Causa mali ex incitamento pendet, totum simul bulbum et principem quasi ipsius partem, retinam et corpus ciliare simul commovente, quibus laesis etiam reliquarum una sequitur bulbi partium inflammatio. Nimius praesertim luminis in oculos influxus saepe ejusmodi malum producit. Attamen non tam vehemens esse debet. Alias enim loco inflammationis simplicem modo adduceret paralysin atque amaurosin inde pendentem nimium istud nervi optici incitamentum. Quando autem minore vehementia agit lumen, primo nervi optici retinaeque vita atque actio solet augeri, atque vita ipsius propria tali modo adaucta ob nimiam vasorum actionem inde excitatam mox ipsam illius vicinorumque organorum inflammationem producet.

§. 244.

Interdum vero etiam causa ophthalmitidis profundius latet,

atque cum ipſius meningis cerebrique inflammatione ophthalmitis accedit. Talem habebis morbum inter calidiorum terrae regionum incolas, qui ictui ſolis, ſicut eum vocant, perſaepe adjungitur. Attamen rarior inter nos talis eſt morbi complicatio, et licet ophthalmitis genuina per ſe vix laetam admittat prognoſin, iſte tamen ipſius gradus multo funeſtior erit, cum citam adducat organismi mortem, ex cerebri paralyſi per inflammationem cito exorta pendentem.

§. 245.

Malum, uti omnes fere ophthalmiae in duo dividitur ſtadia, quorum alterum ſecretionis abnormis initio terminatur, primum vero meram atque genuinam exhibet phlegmonen, cum omnis fere in oculo ſecretionis ſuppreſſione.

Incipit dolore quodam premente atque conſtringente per totum fere bulbum diſperſo, mobilitate bulbi impedita, atque ipſius ſiccitate. Doloris ipſius origini mox coecitas ſuccedit, ex ſtatu retinae inflammationi obnoxio pendens, et cum crebro et moleſto ſcintillarum et fulgurationis ſenſu conjuncta. Diſtinguitur hac ratione malum ab inflammatione orbitae et glandulae lacrymalis, quae, licet omnia fere oſtendat ophthalmitidis phaenomena, hocce tamen retinae inflammatae phaenomenon ſub initio non una adducit. Simili modo et iritis non ſub primo ipſius initio retinam inflammatam oſtendit.

§. 246.

Rubor quidem adeſt in ſclerotica et in conjunctiva. Attamen pallidior reperitur et diffuſus, nec cum conjunctivae tumore conjunctus, ſi malum absque chemoſi acceſſerit. Quae ſi ophthalmitidi, uti perſaepe fit, fuerit adjuncta, citius rubor iſte augetur, conjunctiva bulbi incipit tumere, et cornea ipſa a ſanguine irrigante priſtina perſpicuitate ex parte orbatur. Rubicundus iſte conjunctivae tumor durior, uti in chemoſi vera, et cum tanto ſenſibilitatis incremento conjunctus eſt, ut vix attactum digiti ferat.

§. 247.

Iris porro aequali modo contrahitur, ut circulum licet admodum parvum, tamen aequaliter rotundum exhibeat, et mobilitate ſua deſtituatur. Iritis igitur una adjungitur morbo. Dolor in orbita magis magisque augetur, totam non ſolum orbitam, verum etiam dimidium faciei latus occupat, et morbi vehementia mox febrem creat inflammatoriam totum corpus occupantem, cum pulſu duro, pleno, celeri, ſerrato, cutis ſiccitate, ſiti vehementi, urina parca atque flammea, reliquarum ſecretionum oppreſſione magis minusve inſigni et ipſo delirio ex ſenſorii per vicini organi inflammationem affectione orto conjunctam. Orbita quaſi, ſicuti aegrotus dictitat, pro oculi magnitudine nimis parva reperitur. Haec primi ſunt in ophthalmitide ſtadii phaenomena.

§. 248.

Secundum vero ſtadium ſecretionis initio in loco inflammato terminatur. Tumore conjunctivae nimio et corneam fere obtegente atque cornea jam turbida facta, bulbus ex ipſa orbita incipit prominere. In ipſius penetralibus jam ſuppuratio initium capit, et bulbus ipſe turgidior factus ita tumere incipit, ut ipſius ambitus magis magisque augeatur. Suppuratio iſta in ophthalmitide eo a reliquis differt ejus ſecretionis ſpeciebus, quod citius augetur, et tanto incedit furore, ut bulbi forma neutiquam poſſit ſervari. Cornea ipſa magis magisque palleſcit ex pure intra ipſius laminas effuſo, et in utraque ſimul camera, totiusque bulbi ſpatio degente. Dolores immanes ipſaque deliria magis magisque augentur. Tandem anterior bulbi ſuperficies diſrumpitur, et omnis oculi liquor in pus quaſi mutatus inſigni copia effluit. Quo facto bulbi reliquiae collabuntur, et quamvis nunc inflammatio ſedetur, atrophia tamen bulbi accedit, ipſumque citius in orbita extinguit, quae quidem vacua relinquitur.

§. 249.

Interdum vero etiam febris hoc malum comitantis tanta extitit vehementia, malumque topicum jam cerebro et meningibus eo modo eſt communicatum, ut morbi furor non in exitu commemorato adquieſcat. Tunc aegrotus aut ipſa necatur phrenitide, aut morbi vehementia exhauſtus in unam alteramve incidit febris aſthenicae ſpeciem, quae pedetentim mortem adducit. Interdum etiam in aegrotis ad ſingularia nutrimenti vitia diſpoſitis corruptae bulbi reliquiae in ſcirrhum commutari incipiunt, et niſi tumoris atrophia, ſicut in capite de ophthalmia cancroſa docuimus, adduci poſſit, exitus felicior minime erit expectandus.

§. 250.

Ex dictis modo prolatis prognoſin facilius efformare valebis. Quando vel malum ſimplex fuerit, nec cum encephalitide et phrenitide conjunctum, quando vel ſub primo morbi initio illud ſanare atque opprimere licuerit, tamen ſemper vel amauroſis perfecta aut amblyopia ſaltem amaurotica ex primo morbi in retinam ipſam transgreſſu remanebit. Quo ſerius cura mali inſtituitur, eo certius locum habebit viſus extinctio. Cautus igitur ſit medicus in prognoſi ex malo tam triſti edicenda. Quando autem ſecundum jam ſtadium inceperit cum univerſali totius bulbi ſuppuratione, quando jam rupta fuerit cornea, et de viſu et de oculi forma triſtiſſima quaeque praedicenda erunt. Etenim oculus ſic deſtructus citius perfecta extinguitur atrophia. — Quando autem mali progreſſus cum ſtatu typhode in aegro per ſe debili conjunctus fuerit, aut ophthalmitidis initium jam cum phrenitide junctum, uti ex ſolis ictu obſervarunt, tunc non ſolum de omni ſpe oculi conſervandi abjicienda, ſed etiam de admodum dubia ipſius vitae conſervatione medicus neceſſaria praedicit.

§. 251.

Quod morbi tam triſtis attinet curam ea et localis et univerſalis erit, ſimulque diverſa in primo et ſecundo ſtadio. Primi ſtadii cura localis nititur in larga et repitita hirudinum ad palpebras admotione, in conjunctivae tumentis, quando chemoſis malo fuerit adjuncta, ſcarificatione lanceola facta, aquae ophthalmicae cum Laudano et extracto Hyosciami paratae ad oculum applicatione, et caloris ſicci per ſaccos ex flore Sambuci et farina paratos uſu. Simul etiam unguentum neapolitanum regioni et infra et ſupra orbitam conſpicuae illinatur, quando ſanguinis evacuationes fuerint praegreſſae. — Univerſalis autem cura in primo ſtadio in venaeſectione larga et repetita ex febris malum comitantis vehementia, vitae ratione atque diaeta antiphlogiſtica, mercurii uſu citius ad prima ſalivationis initia repetito, atque alvum ducentibus antiphlogiſticis copioſe hauſtis, ſale amaro cum oxymelle mixto, pulpa tamarindorum cum cremore tartari, etc. — conſiſtat. — Febri et ophthalmiae furore ſic ſedato calor ſiccus et aquae ophthalmicae jam laudatae uſus ſufficiet ad morbi topici extinctionem. Coecitate per amauroſin non adducta, ſed amblyopia tantum ſuperſtite fortaſſe periculum faciendum eſt, num per irritantia topica, halitum ſpiritus ſalis ammoniaci, aetheris vitrioli, etc. bulbo adplicatum, et per electricitatis effectus in oculo edendos viſus maturari poſſit emendatio.

§. 252.

Quando vero ſecundum jam ſtadium originem duxerit cum coorta univerſali ipſius bulbi ſuppuratione, ea ſit cura localis, quae in omni alio hypopio graviſſimo et cum perfecta totius bulbi per pus depravatione conjuncto adhibetur. Aqua igitur ophthalmica cum Laudano multo parata oculo bis qualibet hora applicetur, Laudanum purum bis illinatur, et calor non tantum ſiccus verum etiam aromaticus per ſacculos diſcutientes

bulbi affecti foveat ſuperficiem. Exorta ſuppuratione inſigni atque tenſione bulbi cum dolore graviſſimo conjuncta, inciſio corneae ante omnia ſuſcipiatur, uti in hypopio graviore jure meritoque adhiberi ſolet. — Quae adhibenda erunt in locali ophthalmitidis ſecundo jam ſtadio inſignioris ſanatione.

§. 253.

Quod interna attinet medicamenta, etiam ex febris malum comitantis ratione methodus medendi erit diverſa. Mere inflammatoria non ſolum antiphlogiſtica cuilibet aegroto rite exhibita, ſed etiam mercurii exigit uſum. Febri autem jam cum inſigni debilitate ſtipata et cortex et volatilia et ſpiritus vitrioli de meliori nota commendentur. Attamen et tunc remedium perneceſſarium erit in omni inflammatione aſthenica utiliſſimum. Hoc eſt internus calomelis cum opio juncti uſus. Quibus omnibus in tempore atque eo modo exhibitis, uti vulgaria docent artis ſalutaris praecepta, — quamquam nec viſus nec oculi formae retentio, certe tamen ipſius vitae integritas erit ſperanda.

LIBER UNDECIMUS.

De vulneribus oculi ſeu de Ophthalmia traumatica.

§. 254.

Cum de vulneribus oculi agendum nobis ſit, non ſolum de iis differendum erit, quae ipſi bulbo atque palpebris inflicta fuerunt, ſed quae etiam vicinas partes tali modo tetigerunt, ut exinde noxa magis minusve inſignis oculum adficiat atque viſus impediat facultatem. Itaque etiam de vulneribus frontis, de vulneribus partium faciei et ſupra et infra oculi orbitam con-

ſpicuarum nobis erit dicendum. Etenim uberior jam experientia nobis demonſtravit, ex hisce omnibus et vitia dynamica et formae errores in ipſum redundare bulbum, eaque prae reliquis corporis laeſionibus ſingularem exigere tractandi methodum atque curam.

§. 255.

Quod vulnera attinet frontis, ea ſi fuerint horizontalia, facillime ex cutis per cicatricem exortam extenſione aut blepharoptoſin, aut particula cutis per ſuppurationem conſumta lagophthalmon vel etiam palpebrae ſuperioris ectropium gignunt. Quapropter prima atque praecipua indicatio in eo nititur, ut per citam ſanentur reunionem, quod quidem facillime peragi poterit. Reunio iſta quidem ſutura cruenta atque emplaſtris adhaeſivis in ipſis acuum interſtitiis adpoſitis recte perficitur. Simul et fomentis ex aqua Thedeniana aut aceto vini cum ſpiritu vini mixto paratis ipſa inflammatio citiſſime diſcutiatur, ne ſuborta ſuppuratio ipſa medici conamina felici privet ſucceſſu.

§. 256.

Quando autem perpendicularia fuerint vulnera, tunc ſutura cruenta non amplius opus habemus, et emplaſtra adhaeſiva cum faſcia bicipite recte adplicata omnino ſufficiunt ad ipſarum ſine noxa ſanationem. Attamen, quamvis non illa exinde oriantur diſcrimina, quae in horizontalibus vulneribus non per primam intentionem ſanatis locum habere ſolent, — tamen melius erit actum, ſi etiam vulnus perpendiculare ſtatim per primam reunionem ſanare ſtudemus, et ſi ſuppurationem atque cicatricem exinde ortam, quantumcunque fieri poterit, feliciter vitare valemus.

Obliqua denique ſi fronti vulnera ſint inflicta, omnino mixta indigent medendi methodo. Modo ad perpendicularia magis accedunt, atque tunc minus ſutura indigent cruenta, modo horizontalibus magis ſimiles aequali cum hisce ratione

tractentur. Omnino etiam in iis haecce ſententia valet ſumma atque primaria, ut ſuppuratio cita, inflammationis extinctione evitetur, et per primam reunionem, ſi vulneris natura ipſam admiſerit, ſanatio peragatur.

§. 257.

Vulnera frontis ſi locum habuerint cum inſtrumento minus acuto facta, ſi cum contuſione conjuncta fuerint, et inſigni ipſius vulneratae partis compreſſione, — in iis quidem a cita cutis unione nihil eſt ſperandum. Attamen medicus ipſa eo modo ſanare ſtudeat, ut et inflammationem celeriter diſcutiat, et ſuppurationem exortam eo modo dirigat, quo nec cutis per cicatricem extenſio, nec ipſius ſubſtantiae per ſuppurationem minus felicem deperditio, ideoque nullum ex vitiis modo laudatis ſuboriatur.

§. 258.

Ad vulnera nunc tranſimus, regioni ſupraorbitali illata, quae eam ob cauſam ſummam excitarunt medicorum attentionem, quia ſaepiſſime graviora oculi mala, amauroſin praeſertim ſeu ſaltem amblyopiam efficiunt. Hippocrates jam in Coacis de viſus loquitur obſcuratione ex vulneribus huic parti illatis reſidua. Attamen ad Platneri ſenioris usque tempora nullus medicorum hujus phaenomeni rationem atque cauſas inquirere conatus eſt. Platnerus primo iſtam viſus obſcurationem ex laeſione rami primi quinti paris, ramulos ad muſculos oculi mittentis eſt deducere conatus. Cum vero origo mali varia deprehendatur, quia modo cum laeſione ſimul, modo poſt laeſionem, modo ſub ipſum ſanandi vulneris tempus, modo ſero demum, cicatricula jam formata oriri ſolet, — etiam varias morbi ſuborientis cauſas adeſſe, jure meritoque concluditur. Praeterea phaenomena in oculo ſic adfecto diverſa inſignem quoque cauſarum admittere jubent differentiam. Etenim pupilla modo admodum anguſta modo mirum quantum dilatata depre-

henditur. Attamen ſemper ejus mobilitatem aliqua ratione impeditam videmus. Praeterea etiam morbus gradu differt. Modo amauroſin habes perfectam, modo talem viſus depravationem, qua adhuc res quasdam viſui objectas aegrotus diſcernere valet, et quam ſub amblyopiae nomine diſtinxerunt recentiores.

§. 259.

Ut igitur certiora quaedam de morbi natura ex vulnere ſupraorbitali regioni illato afferre poſſimus, etiam paullo adcuratius in illud tempus nobis inquirendum erit, quo vulnus infligebatur, et in ſymptomata tunc temporis jam ſuborta. Inſtrumento laedente non acuto, ſed magis obtuſo, vulnere cum inſigni contuſione, fibrarum diſtorſione atque ruptura conjuncto, et margini ſupraorbitali arcte adpoſito, ſanguinis effuſione non ſolum in partibus laeſioni propinquis, ſed et in ipſo bulbo ejusque cameris locum habente, oculo penitus obcoecato omnique luminis ſenſu deſtituto, pupilla admodum dilatata et penitus immobili, dolore in oculo inſigni atque ad cerebrum usque penetrante, — jure concludendum erit, viſum non ex nervorum conſenſu eſſe depravatum, ſed ex ipſa oculi laeſione pendere. Retina tunc ſine dubio commota, a choroidea adhaerente ſoluta et paſſim rupta per ſe jam coecitatis inſanabilis adfert cauſam. In caſu tam triſti nil aliud erit agendum, quam ut ſanguinis effuſi abſorptio promoveatur, inflammatio topicis remediis recte extinguatur, dolores ſopiantur, et ad ipſius cerebri commotionem, ſi adfuerit, reſpiciatur. Viſus vero recuperandi nulla ſpes locum habebit.

§. 260.

Interdum etiam talis laeſio ſimplicem modo adfert viſus imminutionem, ſeu amauroſin imperfectam. Tunc non retinae laeſio perfecta, ſed ejus tantum cum toto bulbo conquaſſatio atque ipſius functionis depravatio minus inſignis locum habebat.

Attamen vulnus est minus grave, sanguinis copia in cameris oculi effusa penitus abest, et tantummodo in regione haeret supraorbitali, atque inter scleroticam et bulbi conjunctivam. Visus imminutio autem cum ipsa incipit vi partibus hisce illata. Tali in casu prognosis laetior erit, et nisi subsequentia mala, quorum paullo post mentio injicietur, ex ipsa cerebri laesione pendentia perfectam amaurosin inducant, visus deperditi recuperatio ex parte saltem est speranda. Praeter remedia contra ipsam inflammationem atque ad sanguinis effusi resorptionem destinata etiam ea conducunt, quae in nervos oculi agunt, eorumque tollunt debilitatem ex commotione residuam, quae summa erat atque gravissima amblyopiae causa.

§. 261.

Interdum coecitas suboritur aliquo jam tempore post laesionem factam praeterlapso. Causa mali tunc latet in sanguinis effusione juxta nervum opticum facta, aut in puris secretione eadem in regione locum habente. Commotio cerebri cum ipso vulnere externo juncta funestum hocce symptoma producit. Facile confunditur hocce mali genus cum illo, quod ex cicatrice nervos supraorbitales premente et irritante interdum excitatur. Attamen attentior medicus mox utramque causam sejungere valebit. Nostra si locum habet, plerúmque commotionis in cerebro symptomata una adfuerunt, cicatrix vulnere adhuc aperto nondum exorta est, si amaurosis jam adesse incepit, vehemens ipsam comitatur cephalalgia, reliquaque adsunt signa abscessum aut sanguinis collectionem ad ipsum cerebri parenchyma indicantia.

Tristissima tunc prognosis saepissime irrita reddet medici conamina. Praesertim cum fere nunquam discernere valeamus, utrum sanguis effusus an puris secretio causam mali attulerit. Forte priori in casu ab ipsa sanguinis absorptione aliquid boni sperandum erit. Quando autem abscessus ad basin cranii exortus est, semper fere apoplectica mors ex puris incremento et abscessus ad interiora cerebri organa transgressione timenda erit, nisi,

quod interdum fieri folebat, ipfa puris per aures fiat evacuatio, vel, uti praefertim abfceffu ad ipfam oculi orbitam penetrante obfervare licet, puris copia in bulbi vicinia appareat, eoque modo valeat exftillare. Saepius pure jam exftillante ob abfceffus magnitudinem aegrique ipfius debilitatem febris perfeverat, viresque diminuuntur, donec febris hectica morbo finem imponat, nifi jam antea ob majorem cerebri ex abfceffu laefionem mors apoplectica inciderit.

§. 262.

Signum nunc addere licet, amaurofin ex cerebri abfceffu diftincte indicans, quod Beerius primo difcipulos fuos docuit, de cujus vero veritate me ipfum jam experientia reddidit certiorem. Quod fignum in pupilla nititur perpendiculariter elongata, ut ita fummus ipfius apex frontem fpectet, inferior genas. Caufa phaenomeni per fe obfcura in eo pofita effe videtur, quod fenfibilitatis incrementum praeternaturale ex ipfa organi fummi laefione magis minusve infigni pendens, etiam in iride fefe folet manifeftare. Sicuti autem fyftematis in oculo irritabilis incrementum pupilla ad angulos praelongata cognofcitur, id quod in glaucomate et in amaurofi ex retina per varices depravata videmus, et ficuti in animalibus eximio irritabilitatis vigore inftructis femper pupillam videmus ad angulos praelongatam, — ita etiam fenfibilitatis in oculo incrementam pupillae formam reddit perpendiculariter praelongatam, uti tale quid in animalibus obfervare licet, eximia fenfibilitate et totius corporis et oculorum praefertim inftructis. Abfceffus vero in cerebro juxta nervum opticum fubortus femper in comitatu fuo vicinarum partium habet inflammationem. Cerebri aut meningum et nervorum inflammatio, cum organa fenfibilitati inferviant, femper etiam fenfibilitatis portendit incrementum. Hinc formam habes pupillae ex cerebri abfceffu perpendiculariter praelongatam. Plura de his atque adcuratius inquifita in capite de ophthalmia arthritica et de glaucomatis origine occurrunt.

§. 263.

De amaurosi ex vulnere palpebrarum per retinae nervique optici laesionem suborta haec sunt adnotanda. Cura mali tam gravis etiam prognosin exigit aut penitus tristem aut dubiam saltem atque ancipitem. Priori in casu, ubi retinam habes ruptam et a choroidea solutam inflammationem tantum discutere licet. Sanguinis missi absorptio fomentis cum vino rubro paratis promoveatur, quibus deinde etiam aromatici quidquam addi poterit, ut ita vinum herbis ejusmodi aromaticis infundatur, atque deinde expressum per linteola imponatur. Praeterea etiam dolorum ex nervi laesione sat gravium ratio erit habenda, qui opio interne sumto, oculoque simul per inunctiones applicato sopiendi erunt. Praeterea aegrotus infusum bibat florum Arnicae, donec omnia sanguinis extra vasa degentis symptomata disparuerint.

§. 264.

Quando autem visus ipsius imminutio ex simplici ipsius retinae conquassatione adest, prognosin licet dubiam, tamen paullo laetiorem exhibere licet, cum interdum saltem visus in integrum restitutionem ex aptis remediis sperare liceat. Incitamenta graviora tali in casu conducent, v. g. guttulae aliquot Spiritus salis ammoniaci aut Naphthae vitrioli et Spiritus Lavendulae vola manus exceptae atque e regione oculi positae, ut partes incitantes aëreae bulbum tangant, — inunctiones cum Naphtha vitrioli et Tinctura aromatica in regione supraorbitali factae, si vulnus sanatum tales admittat, usus electricitatis etc. —

§. 265.

Causa amauroseos autem profundiore atque ex sanguinis in basi cranii effusione aut abscessu ad nervum opticum haerente prognosis non solum quoad visum, sed etiam quoad vitae ipsius integritatem tristior locum habebit. Commotio cerebri sub ipsius vulneris initio orta artis lege quidem tractetur. Abscessu autem jam suborto, nisi, uti in infantibus praesertim fieri solet, per aures

effundatur, nulla relinquitur ſpes vitae ſervandae, atque aegrotus mox apoplexia correptus peribit.

§. 266.

Haec de cauſis amauroſeos ex laeſione in regione ſupraorbitali pendentis, quae in ipſo oculi bulbo aut in vicinia nervi optici effectus produxerunt infauſtos, et cum amauroſi junctos. Ad illam nunc tranſimus guttae ſerenae ſpeciem, quae ex mera tantum ganglii ciliaris atque ramulorum ejus depravatione pendens et aliam agnoſcit cauſam, et ſingulari atque diverſa indiget medendi methodo. Triplicem omnino videmus ganglii ciliaris ex vulnere ſupraorbitali laeſionem, et triplicem inde ortam viſus depravati cauſam. Modo oritur ex contuſione et ruptura nervorum ad foramen ſupraorbitale diſcurrentium, cum ipſo vulnere ibidem locum habente. Cognoſcitur caſus ex amauroſi cum ipſo vulneris initio incedente, ex inſigni iridis dilatatione atque mobilitate ejus extincta, et ex abſentia ſymptomatum bulbi ipſius aut cerebri commotionem vel retinae indicantium rupturam. Haec ſi una adfuerint, mixtum mali caſum indicare ſolent, cauſamque ejus duplicem, et ex ganglii ciliaris et ex retinae aut nervi optici laeſione pendentem. Simplici autem nervi ſupraorbitalis laeſione locum habente amauroſis ſine dubio ex ſecreto illo originem ducit conſenſu, inter nervum opticum et ganglion ciliare intercedente, quae unius morbum etiam in alterum mox traducit, et quae plerumque in amauroſi ex nervo optico pendente iridis adducit immobilitatem, et ex nervi ciliaris labe cum iridis rigore juncta etiam ipſam viſus per guttam ſerenam efficiet extinctionem.

§. 267.

Altera ganglii ciliaris laeſio amauroſin laeſioni ſupraorbitali adjungens nititur in extenſione et depravatione nervorum ſupraorbitalium, quae ex ſanatione vulneris minus recta atque ex inſigni et graviore cicatricula pendet. Eadem cohaerentia, ſicuti in prima mali gravioris ſpecie proximam huic malo exhibet occaſionem. Attamen mali cauſa cognoſcitur ex ipſius initio. Sana-

tione vulneris nondum peracta visus suam servat integritatem. Vulnere aut maxima ex parte aut penitus sanato et laesione jam in cicatricem mutata mali proximum vides initium. Porro symptomata desunt, quae abscessus in cerebro produnt praesentiam. Quae si adfuerint, etiam casum ex utraque causa simul accedente mixtum et complicatum habebis.

§. 268.

Tertia denique ganglii ciliaris laesio nititur in unius alteriusve nervuli ciliaris ad iridem commeantis ruptura. Quae oritur ex bulbi commotione atque contusione eodem tempore, quo regio subraorbitalis vulnerabatur, inflicta. Amblyopia igitur, cum meram amaurosin rarissime producat, semper cum ipsa regionis supraorbitalis incipit laesione. Signa reliqua, ex quibus talem nervulorum ciliarium depravationem cognoscimus, in descriptione laesionum bulbi ipsius afferre licebit, cum huc proprie non pertineant. Vulnus regioni supraorbitali una illatum, quod consueto tramite incedit, sanatur, nec in casu feliciori secundam amauroseos per nervos supraorbitales speciem producit.

§. 269.

Quod morbi genus attinet, ex nervorum supraorbitalium ruptura atque violenta compressione cum ipso vulnere exorta pendens, hoc prognosi indiget admodum infausta. Etenim laesio nervorum longe gravior atque vehementior fuit, quam ut ipsorum per remedia apta sperare possis restitutionem. Vulnus quidem recte sanatur, — sed perfecta tamen amaurosis remanebit. Periculum quidem esset faciendum cum inunctionibus incitantibus atque spirituosis, v. g. Naphth. vitriol. Ol. terebinthin. destill. Ol. Menth. Cajeput, etc. in regione vulneris illati, ut ita laesae nervorum particulae ab ipsis tactae pristinam in casu leviori recuperarent vim atque efficacitatem. Verum enim vero in casibus quam plurimis effectu carebunt, spe et ab aegro et a medico frustra sustentata. — Uti mea me docuit experientia, in casu amauroseos insanabilis ex vulnere supraorbitali exortae sive ince-

perit ex ruptura et violenta nervorum ſupraorbitalium compreſſione, ſive ex retinae nervique optici per commotum bulbum depravatione, ſive ex ſimplici tantum, ſed graviori bulbi commotione, — ſaepiſſime atrophia oculi ſuccedit. Cautus igitur medicus ambigua prognoſi quoad oculi formam utatur, cum viſui penitus amiſſo etiam talis nutrimenti in bulbo depravatio ſuccedat, quae primum ipſius atrophiae initium conſtituere ſolet.

§. 270.

Quando autem ſecundum adeſt amauroſeos genus ex ſimplici pendens nervorum ſupraorbitalium per cicatriculam exortam compreſſione, quod vulnere demum ſanato ſuccedit, — tunc, licet prognoſi ambigua ſit utendum, melior tamen ſpes affulget viſus per medici operam recuperandi. Indicatio nititur in effectus, quem cicatricula in nervos ſupraorbitales exſerebat, extinctione. Quod quidem non tam per inunctiones emollientes in ipſa cicatrice factas, quam potius nervorum circa foramen ſupraorbitale diſſectione peragitur perfecta. Praeter alios medicos quam plurimos etiam Beerius in duplici caſu viſum eo modo reſtituere conatus eſt. Cultello ad os usque adacto atque vulnere circulari, quod omne foramen ſupraorbitale circumdaret, inflicto, omnes fere diſſecuit nervulos inde prodeuntes atque mox viſus exinde in integrum obſervavit reſtitutionem. Uti experientia jam alibi monſtravit non nervi ſectio inſtrumento acuto peracta, imo potius ruptura ejus ex contuſione aut vi comprimente facta ejus vim delere ſolet vitalem. Vides inde, cur hoc in caſu viſus ex ſimplici nervorum ſectione ſperanda ſit reſtitutio, cum alibi ruptura et compreſſio nervorum viſus perfectam adducant abolitionem.

Huic vero nervorum ſectioni etiam in caſu ſingulari adjungenda erit inunctio incitans ſupra deſcripta, quae, ſi vel viſus initio non redierit, mox perfectam ipſius in integrum reſtitutionem maturabit.

§. 271.

Ad vulnera nunc tranſimus regioni infraorbitali illata. Cum

ibidem etiam per foramen infraorbitale ramus prodeat quinti paris nervorum, etiam ſimilia mala ex ejusmodi nervorum laeſione in viſus redundare poſſunt facultatem, quae in paragraphis antecedentibus de vulneribus regioni ſupraorbitali illatis propoſuimus. Eadem porro ratione bulbi conquaſſatio, retinae ruptura atque abſceſſus ad nervum opticum laeſioni infra oculi orbitam vehementiori adjungi poſſunt. Eadem igitur amauroſeos inde pendentis diagnoſis, eadem prognoſis, eadem denique ſanandi methodus adhibenda erit. Ne igitur ſuperflui quidquam proponatur, benevolus lector antecedentia evolvat, ſi de vulneribus infraorbitali regioni illatis, quae amauroſin produxerunt certiora quaedam et ſeparatim propoſita perlegere voluerit. Caeterum multo rarius haecce obſervantur vulnera, cum oſſis zygomatici vicinia ſaepiſſime vim laedentem avertat.

§. 272.

Ex ejusmodi vulneribus, niſi per primam, uti vocatur, reunionem, ſed per ſuppurationem ſanantur, quo modo magis cutis externa perit, et lagophthalmus et ectropium exoriri ſolent. Quae mala organica etiam lege artis ſananda erunt. Lagophthalmus ex palpebra inferiore etiam ob minorem palpebrae latitudinem minus timendus erit. Sanabitur inunctionibus oleoſis atque emollientibus cum crebra et repetita cutis externae extenſione digito facta conjunctis. Quibus, ſi per aliquod temporis ſpatium continuatae fuerint, mox priſtina cutis latitudo inſtauranda erit, et inde morbi pendebit extinctio.

§. 273.

Alia vero requiritur ectropii in palpebra inferiore ſanatio, ſi ortum eſt a cute externa per cicatricem decurtata. Non ſolum cutis externae extenſio ſuſcipiatur, ſicuti ipſam jam deſcripſimus, quae vel emplaſtri adhaeſivi adplicatione poterit promoveri, ſed conjunctivae etiam in palpebra adfecta ratio erit habenda. Quae ſi per aliquod temporis ſpatium aëri externo exponitur, craſſior fit, atque luxuriantem adipiſcitur ſuperficiem. Quae primo ad-

plicatione unguenti mercurialis rubri ſeu graviori in caſu lapidis infernalis attactu, deinde vero; membrana iſta ad integrum reſtituta, inverſione tarſi in palpebra inferiore arte peracta, — uti illam in capite de ophthalmia neonatorum uberius propoſuimus, — peragitur.

§. 274.

Vulnera palpebrarum ob ſingularem harum partium ſtructuram atque naturam etiam ſingulari indigent curatione, cum minus opportune ſanata facillime vitia relinquant organica, bulbo ipſi magis minusve infeſta. — Prae caeteris in ejusmodi vulneribus reſpiciendum erit, num laeſus ſit tarſus palpebrae an non, numve laeſio angulo interno propior etiam ipſius puncti et canalis lacrymalis rupturam adducat.

§. 275.

Quando tarſus atque partes reliquae modo ante laudatae manſerunt integrae, etiam ſanatio facilior et prognoſis laeta erit, ſi modo per primam vulnus ſanare poteris reunionem. Vulnere perpendiculari ſimplici tantum indiges emplaſtro adhaeſivo, quo firma ſit atque ſufficiens vulneris labiorum adpoſitio. Quando autem horizontalis reperitur vulneris ſectio, ſimplex emplaſtrum adhaeſivum neutiquam ſufficiet, primam ſi peragere volueris reunionem, cum ob imparem atque in ſuperiore parte parvae foveae ſimilem palpebrae affectae ſuperficiem, ſi ſuperior fuerit, tum ob lacrymarum profluvium, quod emplaſtra inferiori palpebrae adpoſita facillime irrigaret eaque ratione, quod vulneris ſanationem attinet, inutilia redderet. — In omni tali vulnere ſutura cruenta eo modo opus erit, ut vel una, vel vulnere majore duabus acubus incurvis filum ceratum artis lege inducatur, atque vulneris labia tali modo juncta ad perfectam usque laeſionis ſanationem contineantur, qua peracta filum denuo extrahimus.

§. 276.

Hactenus de vulneribus palpebrarum, penitus omnem muſculi orbicularis carnem ſecantibus. Quando autem muſculi particula tantum aut cutis tantum diſſecta fuit, — ne his quidem opus erit.

Simplex emplaſtrum adhaeſivum recte adpoſitum, ſi tali adhuc opus fuerit, mox ſanationem peragere valebit.

§. 277.

Alia vero opus erit agendi ratione, quando in horizontali vulnere palpebra tota una cum tarſo ſecta fuerit, et morbi genus exinde originem ducat, quod ſub Colobomatis, ſeu fiſſurae palpebrarum nomine inter nos occurrit, et quod in palpebra praeſertim ſuperiore locum habens aut ex vitio primae formationis aut ex vulnere palpebrarum minus recte ſanato originem ducere ſolet. Prima tunc per ſuturam cruentam acu incurva peragendam reunio tentanda erit. Attamen cautus ſit medicus in ſua praedictione, cum ſaepiſſime vulnus vel recte ſanatum tarſi adducat corrugationem atque entropium exinde oriatur inſanabile, quod tantum repetita ciliorum extractione mitigari poteſt.

§. 278.

Medicus praeterea in ipſius acus inductione habili et idonea manu tarſi ipſius vitet laeſionem, ut in ſuperficie ejus acus inter cutim tarſumque progrediatur, nec in ipſam penetret cartilaginis carnem. Nam omnis ejusmodi laeſio tarſi ejusque membranae maturabit inflammationem atque ſuppurationem excitabit, ex qua tarſi corrugatio inſanabilis orietur. — Quando praeterea acus in loco palpebrae immittenda eſt, qui a tarſo remotus eſt, non cutis tantum, ſed etiam pars muſculi orbicularis ita quidem trajicienda erit, ut non per totam acus cum filo penetret palpebram, ſed in ipſa haereat palpebrae carne, cum alias bulbus tali modo tactus gravi laborare inciperet inflammatione, eoque modo etiam ipſius ſuturae effectum plane irritum redderet atque impediret. Etenim ſutura, quando bulbus graviter inflammari inceperit, ſtatim erit ſolvenda. — In vulnere minore una tantum acus requiritur. Ad majorem autem et longiorem palpebrae fiſſuram etiam duabus opus erit, quarum una et prior circa extremam palpebrae partem, et in ipſius tarſi ſuperficie, altera vero in media palpebrae adplicanda erit parte. — Suturae deni-

que cruentae etiam ficca ita quidem adjungenda erit, ut uno alterove emplaftro adhaefivo vulneris labia firmentur.

§. 279.

Ad cujusvis vulneris in palpebra fanationem fumma praeterea requiritur oculi quies, omnisque ejus motus impeditio. Quando igitur vulnus, pro varia ipfius ratione recte fuerit firmatum, palpebra utraque, uti poft cataractae operationem, emplaftro adhaefivo claudatur, atque linteolo fafcia frontali firmato obtegatur. Quae quidem etiam fomenti ipfius cum aqua Thedeniana parati interdicunt ufum, atque vulnus naturae foli fanandum relinquunt. Labiis in vulnere demum unitis etiam linteolum cum emplaftris amoveatur, filaque ipfa extrahantur.

§. 280.

Quando denique vulnera palpebrarum conjuncta fuerint cum laefione canaliculorum et punctorum lacrymalium, tunc etiam omnia peragenda erunt, quae de vulneribus palpebrarum modo in medium protulimus. Attamen prognofis minus laeta aegrotis exhibeatur, cum rariffime vulnus tām aequaliter coalescat, ut integer relinquatur canaliculi rupti tranfitus, cum femper fere parietes tenuis ejusmodi tubuli concrefcant, eoque modo abforptione lacrymarum fublata perpetuum aegrotos per totam vitam vexare foleat lacrymarum profluvium.

§. 281.

Vulnere palpebrarum cum tali ipfius carnis disperditione conjuncto, ut primam adeo reunionem futura peragendam tentare nequeas, aut, fi vel fummo labore hoc peregeris, ut bulbi ipfius motus palpebra anguftiore atque tenfa fit impeditus, — tunc ab omni tali abftinendum erit conamine, parteque laefa linteolo fascia frontali confirmato tecta, ipfam naturae committas fanationem, quae, licet vitium quoddam formae faepius relinquat, non tamen incommoda fimul adferet, quae ex artis ope cum tantis periculis conjuncta oriuntur.

§. 282.

Ad laesiones nunc transimus ipsi bulbo illatas. Exceptis iis, quae sub operatione ophthalmiatrica semper locum habere solent, et quarum hoc loco nulla nobis mentio injicienda erit, laesiones bulbi ipsius rariores sunt, quam alias conjici posset. Causa hujus observationis in eo praesertim latere videtur, quod globus iste oculi elasticus, renitens, et cartilagine glabra vestitus instrumenta laedentia magis ad spatium istud mollius et facile perforandum inducat, quod inter bulbum et inter ossa orbitam includentia locum habet, et quod tela cellulosa eaque pinguiore et musculis oculi repletur. Id quod et natura demonstrat. Multo saepius laedens instrumentum, quod per palpebram ad ipsum pervenerat oculum in orbitam bulbo adhuc illaeso penetrat, quam ut ipsum oculum valeat perforare.

§. 283.

Quod prognosin attinet ad ipsius bulbi vulnera necessariam, ea semper ambigua erit in omni tali laesione, quae per ipsas oculi membranas ad interiora penetraverat ejus organa. Multo certius visus imminet extinctio, quando vulnus majus et grande fuerit. Etenim liquores oculi effluentes inevitabilem ipsius collapsionem, quae et coecitatem perfectam et atrophiam bulbi in suo comitatu habet, maturant. Symptoma tunc locum habet in humoris vitrei effluvio inprimis manifestatum. Photophobia gravior exoritur, quae ex retina ab humore adjacente denudata, luminis radiis magis exposita et inflammata pendens semper inevitabilem ex retinae jam laesae corruptione adducit visus depravationem, cum membrana ista non amplius extensa corrugari incipiat, ideoque ad rectam radiorum luminis perceptionem non amplius idonea reperiatur.

§. 284.

Graviorem praeterea inflammationis gradum excitant vulnera scleroticae illata, quam illa, quae corneam sibi sedem elegerant. Etenim non simplex modo adest scleroticae sectio, ad-

eſt etiam choroideae atque retinae laeſio, quae poſterior ſemper praeter inflammationem etiam perfectam amauroſin gignit. Retinae margo duabus lineis a corneae margine diſtans, etiam omnibus vulneribus ſcleroticam penetrantibus et ultra duas iſtas lineas a cornea remotis retinae neceſſario adjungit depravationem.

§. 285.

Gravia denique et viſui infeſta reperiuntur corneae vulnera pupillae e regione ſita, cum vel optime ſanata cicatriculam ideoque etiam inſanabilem corneae obſcurationem eo in loco adducant. Quae cum e regione pupillae haereat, etiam magis minusve inſignem viſus depravationem efficit. Contra vero vix periculoſa erunt vulnera, quae corneae lateralem modo partem absque reliquarum partium occupant laeſione. Si vel cicatrix vel graviori in caſu iridis prolapſio in illa remanſerit, tamen nulla viſus exinde remanebit depravatio, cum cornea pupillae e regione ſita mali non exhibeat ſedem.

§. 286.

Vulnera iridis inſtrumento admodum acuto inflicta non timenda erunt. Eo magis vero iſta iritidis maturabunt periculum, quae inſtrumento obtuſiore facta cum ejus membranae compreſſione juncta fuerunt. Quod etiam experientia duce in cataractae extractione demonſtratur. Laeſio iridis cultello admodum acuminato facta, ſi vel ſumma fuerit, et cum particulae iridis exſectione juncta, vix periculum iritidis adducet, quae tamen ex ſimplici iridis compreſſione cochleari Davieliano facta, aut ex nimia pupillae extenſione a cataracta praegrandi facta tam facile acceleratur.

§. 287.

Quod denique laeſiones lentis attinet ad vulnera oculi accedentes, eae omnes, cum lentem modo ex ſitu amoveant ſuo aut disrumpant, aut comprimant, aut ſaltem lentis vulnerent capſulam, juſtam partis hujusce nutritionem eo modo infeſtare

ſolent, ut et lentis et capſulae obſcurationes exinde originem ducant. Quae, ſi reliquarum oculi partium ſtatus operatione amovere permiſerit, non tam extractione ſanari poterunt, — cum ob ruptam cataractae formam, quae majorem ad eam extrahendam operam et vehementiorem inde oculi laeſionem requirit, tum ob majorem bulbi ex priſtino vulnere ad inflammationes proclivitatem, — quam potius depreſſione ex methodo Pottiana peracta, quae lentem et cataractam undique diſrumpere jubet, donec abſorptione fuerit extincta. Interdum etiam hac non opus erit, gravior ſi adfuerit lentis capſulaeque ejus laeſio atque ruptura. Etenim tunc abſorptio per ſe recto incedit tramite, homo mox ſine ullo remedio viſum recuperabit, — et ſi quid adeo agendum ſit, hoc in applicatione irritamentorum localium conſiſtat, quibus vis in oculo abſorbens poterit inſtigari.

§. 288.

Quod denique vulnera attinet corpori vitreo illata, uti ea in cataractae reclinatione ſaepius obſervamus, ea prorſus omnis periculi expertia reperiuntur. Singularis huic parti virtus inesse videtur, qua non ſolum laeſiones illatas ſine ullo ferat inflammationis periculo, ſed etiam tela ipſius cellulosa citius concreſcat, ſi diſſecta vel rupta fuerit. Attamen de meris hoc tantum intelligendum erit iſtius humoris laeſionibus. Graviora et irritabilia damna parabunt iſta vitrei humoris vulnera, quae cum ipſius retinae humorem ambientis laeſione ſunt conjuncta. Etenim non ſolum vomitus et ſummi dolores, verum etiam perfecta et inſanabilis viſus obſcuratio ejusmodi excipiunt laeſionem.

§. 289.

Quod vero cujusvis in bulbo vulneris ſanationem attinet, ea penitus fere naturae permittenda erit. Partes ſi tali ratione laeſae fuerint, ut viſus ſit extincta facultas, illae etiam optima inflammationis ſanatione oculo vires neutiquam reſtituere valebunt. — Palpebrae emplaſtro adhaeſivo clauſae teneantur, uti tale quid operationibus peractis fieri ſolet; methodus in uni-

verſum antiphlogiſtica pro febris exortae ratione et vario hominis aegrotantis ſtatu locum habeat, dolores exorti opio et hyosciamo praeſertim ſopiantur, atque iritide accedente etiam localis exhibeatur hyosciami et belladonnae uſus. A reliquo topicorum apparatu et vulnus et ſingularis partis vulneratae ratio abſtinere jubent.

§. 290.

Nunc ad laeſiones tranſimus, quae bulbo adhuc integro relicto in cavum orbitae penetrare et telam cum muſculis ibidem degentibus afficere ſolent. Sive magis ſive minus graves atque periculoſae reperiuntur, pro partis vulneratae ratione et pro loco, ad quem usque penetrarunt. Vulnera non profunda atque telae celluloſae tantum infenſa per ſe vix graviora mala portendunt. More conſueto per ſuppurationem exortam ſanantur. Attamen ſymptoma ſaepius ipſa grave comitatur, et adſpectu horrendum, quod in muſculorum oculi ex vulnere paralyſi et in oculi prolapſu ſive exophthalmia nititur inde pendente. Caute tunc atque lente bulbus prolapſus reponatur, et palpebrae emplaſtro adhaeſivo clauſae ipſum teneant repoſitum. Niſi una nervus opticus laeſus fuerit, rariſſime ex tali exophthalmia viſus obſervabis deperditionem. Vulnus ſic inflictum artis lege antiphlogiſticis topicis tractetur, dolores exorti anodyno leviore ſedentur, atque ſuppuratione exorta partes ſeparatae mox coëant concretione.

§. 291.

Alia vero mali ratio erit, laeſionem quando habueris in orbita profundiorem. Sicuti experientia docuit, partes poſteriorem orbitam occupantes ob nerveam atque tendinoſam plurimarum ſtructuram majore ſenſibilitate praeditas eſſe, et vulnera ipſis illata per ſe jam ſymptomata inflammationis cerebri nervorumque adducère, ita et eadem exinde phrenitidis oriuntur pericula. Multo magis vero hoc locum habebit, ſi oſſei orbitae parietes, qui in poſteriore ipſius fine tenuiores reperiuntur, inſtrumento

laedente perforati fractique fuerint, et ſi laeſio cerebri vicini exinde duxerit originem. Symptomata phrenitidis ſemper fere imminebunt, nec facili ratione poterunt extingui.

§. 292.

In omni ejusmodi vulnere medicus prognoſi utatur dubia, ſicut in omni cranii laeſione fieri debet. Etenim hac ratione nec ambitum nec gravitatem partium laeſarum perſpicere valet, nec ſymptomata ſtatim initio adſunt, quae longo demum aegrotos enecare valent temporum intervallo. Quod curam attinet, ea talis erit, ut et praeſentem inflammationem debilitet, et futura inde mala avertere ſtudeat. Methodo antiphlogiſtica utatur aegrotus, ſanguinis miſſiones et univerſales et topicae in regione vulneris adplicatae, antiphlogiſtica alvina atque diaeta tenuis et parca ad illud usque tempus exhibeantur, quo febris vehementia extincta vulneris ſuppuratio exorta fuit. Phrenitidis imminentis ſymptomata et fomentationibus frigidis capiti adplicatis, et mercurio larga copia exhibito indigebunt. Attamen iis ſanguinis antecedere debent evacuationes. Quibus praemiſſis et dolorum vehementi cruciatu remanente etiam opiatum ſat larga copia eo facilius exhibere licebit, quo magis partes admodum ſenſibiles in regione vulneris commotae etiam auctam inflammationi ſenſibilitatem ſublatumque nervorum aequilibrium adjungunt. — Praeterea initio quidem ab omni alia vulneris tractatione locali abſtinendum erit. Corpora ſi aliena adfuerint, optima quaque ratione removeantur, ſuppuratio primis diebus injectionibus lenientibus ex aqua tepida aut lacte cum pauxillo croci paratis promoveatur, et vulnus, ſi profundum fuerit, ad illud usque tempus, quo profundiora coaluerint, apertum ſervetur, aut etiam, pro varia ipſius ratione in oſtio paullulum dilatetur. Caeterum linteum carptum atque molle vulneris oſtiolo applicandum erit, et aquae tepidae inſperſione altero quovis die vulnus purgandum, donec plane atque penitus coaluerit.

DE

MORBIS OCULI HUMANI INFLAMMATORIIS

LIBRI XXIII.

PARS SECUNDA.

DE OPHTHALMIIS SYMPATHICIS.

LIBER DUODECIMUS.

De Ophthalmia intermittente.

§. 293.

Morbum oculi inflammatorium certis temporibus eo modo repetitum ut intervalla habeat, in quibus oculum ab omni fere phlogosi liberum habemus, sub ophthalmiae intermittentis nomine comprehendimus. Rarius quidem est malum, cujus tamen observationem clari in arte viri nobis tradiderunt, ut de veritate morbi neutiquam dubitare liceat. Vidi inter Beerii aegrotos casus ejusmodi singulares, uti et duplex exemplum inter meos, — quorum descriptio, ut clarior de tota re notio existat, adjicienda erit.

§. 294.

Sicuti typum istum in febribus intermittentibus, cujus explicationem naturae scrutatores neutiquam exhibere potuerunt, et in multis variisque corporis humani affectionibus observamus, ita eandem etiam in ophthalmiis videre licet. Attamen tales distinguendae sunt ab ophthalmiis charactere remittente notatis, quarum multae medico saepissime offeruntur. Ophthalmia intermittens stadium intermedium habere debet ab omni labe liberum, ejusque accessus tempore redire solent, a typo remittente longius abhorrente. Etenim rarius vel plane non omni vespera, sed alio tempore, mane, vel pomeridianis horis vel nocte intermedia redit, neque semper omni die, verum etiam sub forma tertianae aut etiam tertianae duplicatae accessus ejus animadvertitur. Ante omnia vero apyrexia ejus libera, perfecta et omni fere inflammationis symptomate orbata esse debet.

§. 295.

Remittentes ophthalmiae plurimae obſervantur ex cauſa catarrhali derivatae. Mane atque ſub meridiem aegrotus pauca perſentit morbi ſymptomata, ut magis ejus initium adeſſe videatur, cum parvo in conjunctiva bulbi rubore. Sed horis pomeridianis ad veſperam vergentibus rubor bulbi augetur, vehementior accedit dolor, lacrymarum profluvium atque photophobia, viſusque magis impeditur. Symptomata haecce ſub noctis initium eximie augentur, atque deinde demum ſub ipſo novi diei ortu decreſcunt. Diſtinguendus vero erit talis morbus, quod diagnoſin attinet, ab ophthalmia ſyphilitica, cujus jam ſuo loco injecimus mentionem.

§. 296.

Morborum formae, ſub quibus ophthalmia accedit intermittens, variae omnino reperiuntur. Modo ophthalmia mere externa locum habet, uti eam Beerius atque Ware obſervarunt, et inter meos etiam videre potui aegrotos. Certo tempore, typi rationem ſervante, conjunctiva bulbi rubore obduci incipit, dolor adeſt, qualis ille eſt ex corpore alieno in oculi affinibus haerente, photophobia atque lacrymarum profluvium. Symptomatibus hisce mirum quantum adauctis pedetentim decreſcere incipiunt, donec tandem penitus evaneſcunt, et conjunctiva bulbi colorem adipiſcitur illi in ſtatu ſaniori ſimillimum. — Interdum etiam talis inflammatio intermittens non ſolum externas adoritur oculi membranas, ſed etiam ad interiores extenditur oculi partes, non ſolum cum photophobia inſigni atque iridis coarctatione, verum etiam cum vehementibus capitis doloribus ita conjuncta eſt, ut ad delirium usque augeantur. Quae vero mox cum ipſius febris localis acceſſu evaneſcunt. Tunc iritidis formam ſervat malum.

§. 297.

Beerius praeterea ophthalmiam intermittentem cum ophthalmoblennorrhoea junctam vidit, quae omni die horis meridianis

redire ſolebat. Omnia aderant morbi ſymptomata, tumor conjunctivae inſignis, viſus perturbatio ſumma, atque tantum muci profluvium, ut genae largo muco irrigatae conſpicerentur. Sub maximo morbi incremento etiam ſummus aderat capitis dolor, aderant una convulſiones. Morbi acceſſu finito conjunctiva bulbi omnis tumoris atque doloris expers et tam leviter tincta conſpiciebatur, ut tantummodo oculum te cernere putares, cujus vaſa majore cruoris copia turgent.

§. 298.

Rariſſimum denique hypopii periodici caſum obſervavit Janinus. Aeger per annum ſemper binis quolibet menſe ſeptimanis inflammatione correptus fuerat oculi interna, cum puris in camera anteriori collectione. Verum iſta inflammatio non tanta augebatur celeritate, ut oculum per quatuordecim dies tam gravi morbo laborantem deſtrueret, — ſed ſub finem hujus temporis integerrima oculi perſpicuitate relicta denuo evanuit.

§. 299.

Prognoſin in hocce morbo ſemper vehementia ſymptomatum ſub quolibet acceſſu locum habentium definire ſolet. Quando non tanta eſt, ut oculi vitia adducat, etiam amoto vehementis morbi impetu, adhuc reliqua, meliora ſperare licet. Similia locum habent in ophthalmia intermittente, cujus paroxysmi non per longius jam acceſſerunt temporis ſpatium. Etenim mali acceſſus repetiti ſemper diſpoſitionem quandam illi morbo reſpondentem in oculo relinquunt, et repetiti impetus pericula atque vehementiam augentem. Contraria etiam contrariam exigunt prognoſin.

§. 300.

Quod denique medendi methodum attinet tali in aegro, qui ophthalmia intermittente affectus eſt, exercendam, ea a celebrioribus ophthalmiatris inſtituta eſt, qualis eſt illa febris intermit-

tentis. Exhibuerunt corticem, cum impetum morbi extinctum viderent. Attamen conjiciendum erit, cum morbus etiam partes invadat et maxime ſenſibiles, una etiam utilitatem praeſtare poſſe et localem et internum ſenſibilitatem diminuentium medicamentorum uſum. Id quod Warius tali in caſu feliciter peregit, cum Opium una cum tinctura Valerianae volatili cortici cum proſpero adderet eventu.

§. 301.

Quapropter, ſi vel morbi ſponte evaneſcentis ratio localium medicamentorum interdicat uſum, cum utilitate tamen aqua ophthalmica cum Laudano paroxysmi tempore exhibeatur, ut ipſius decurſus eo modo lente atque cum imminuta aegrorum ſenſibilitate promoveatur. Forte et derivantibus locus dabitur, ut vetuſtior ſchola ipſa vocat, ideoque et veſicatorium perpetuum vel fonticulus vel cortex mezerei viciniae oculi adplicatus utilitatem praeſtabit, ſi repetitos paroxysmos opprimere in animo habueris.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

De Ophthalmia Catarrhali et Rheumatica.

§. 302.

Ad deſcribendum morbi genus me converto, quod inter omnes ophthalmias frequentiſſimum atque celeberrimum in caſibus quam plurimis reliquis oculi inflammationibus occaſionem praebet, quae ex hacce demum originem ducunt ejusque formam in aliam ſingularem atque perſaepe multo graviorem transmutant.

Quae quidem ophthalmia arctum indicat conſenſum, qua externae oculi membranae cum reliqua cute conjunctae reperiuntur, et cujus morbi ratio ſemper fere ſtatum membranarum oculi a legitimo atque ſano permultum abhorrentem adducit.

§. 303.

Quando ex ſingulari aëris transmutatione, quae ſemper epidemiam comitatur catarrhalem, catarrhi ſymptomata apparent, in cute organorum reſpirationi inſervientium et in membrana oris et narium mucoſa ſimul conſpicua, neç raro cum febri totum corpus occupante conjuncta: ſaepius etiam partium oculi inflammationem videmus, quae ſub ophthalmiae catarrhalis nomine inter nos celebratur. Quodſi praecipuos videmus morbi catarrhalis in membranas oculi mucoſas effectus, etiam ophthalmia catarrhalis praeſertim formam blepharophthalmiae glanduloſae admittere ſolet.

§. 304.

Aliud vero malum exoritur, quando ex aëris actione cuti non ſatis aptato, id quod ſaepius mutata aëris temperie obſervare licet, — rheumatismi morbus adfertur. Videmus iſtum praeſertim in partibus corporis irritabilibus atque ſeroſis ejus membranis. Quando tali ex cauſa aegroti ophthalmia laborant, hanc ophthalmiam rheumaticam nominare licet. Cum huic malo non tantopere mucoſae obnoxiae ſint membranae, etiam rarius inde blepharophthalmiae glanduloſae originem, ſaepiſſime vero illam ophthalmiae externae, et ipſius adeo in caſu graviore iritidis animadvertimus. Cum praeterea rheumatismus per ſe jam majorem adducat doloris in parte affecta copiam, etiam majores in ophthalmia rheumatica dolores ſentiuntur, quam in catarrhali, quae interdum veſpertinis tantum horis movet dolores.

§. 305.

Iſti quidem dolores in ophthalmia rheumatica omnem occupare ſolent orbitae marginem, aut ſaltem unum alterumve ipſius locum, angulum utrumque vel unum tantum aut regionem ſupraorbitalem vel infraorbitalem vexant. Attentus quisque iſtos dolores vix cum iis confundere poterit, qui ophthalmiae ſiphiliticae et arthriticae comites reperiuntur. Etenim in ſiphilitica

ſupraorbitalem tantum obtinere ſolent marginem, et reliqua ſimul in bulbo ipſo ſeſe manifeſtant ſymptomata, ſuo jam loco enumeranda. In arthritica vero dolores multo vehementiores totum occupant faciei affectae latus, eoque modo manifeſtam jam utriusque mali exhibent differentiam.

§. 306.

Utriusque igitur ophthalmiae et catarrhalis et rheumaticae diſcrimen, quod attinet ejus diagnoſin, nititur partim in cauſa, quae eſt illa aut catarrhi aut rheumatismi, et quam paullo ante jam uberius exhibuimus, partim in doloris comitantis vehementia, quae major in rheumatica, multo minor in catarrhali reperitur, partim in ipſa denique morbi ſede, quae in catarrhali palpebras magis, in rheumatica vero bulbi exteriores tangit membranas. Saepe in hominibus mera adeſt atque ſincera ophthalmia vel catarrhalis vel rheumatica, ſaepe vero utraque etiam conjuncta apparet, ut utriusque una adſint phaenomena. Forma mali tunc exoritur, quam vulgo catarrhalem appellarunt, quae vero majore jure ophthalmiae rheumatico-catarrhalis nomen meretur.

§. 307.

Ophthalmia igitur externa et blepharophthalmia glandulosa utroque morbo ſaepiſſime excitantur. Decurſus cum phaenomenis ſuis tunc idem reperitur, qualem eum paullo ante ſingulis expoſuimus libellis. Nil igitur aliud tali in caſu niſi hoc addendum erit, ut cauſa catarrhali latente etiam ſub curae initio in cutim laeſam agatur, atque diaphoreticorum et internorum et externorum uſu ſimul cura localis ſuſtentetur. Ophthalmia igitur catarrhalis rheumatica ex mea quidem opinione unicum erit inflammationis genus in oculo humano, ubi in adultis aegris veſicatoria donec rubor oriatur admota, atque ſinapismi ad cutis pruritum excitandum impoſiti uſum praeſtabunt. Attamen hoc tantum in ophthalmiae valet initio. Quodſi vero jam per aliquot

dies continuatum fuerit malum, et cutis jam per se priſtinum recuperaverit ſtatum, vix neceſſaria erunt irritamenta iſta, in certo cutis loco admota. In infantibus denique penitus abjicienda erunt, cum nimis noxii ſint ipſorum effectus in corporibus, tanta nervorum praeditis ſenſibilitate.

§. 308.

Ad duplicem nunc tranſeo ophthalmiae externae ſpeciem, quae cum ſemper ex cauſa pendeat cutem laedente, ideoque jure meritoque rheumatica vocanda ſit, non in libro de ophthalmia externa idiopathica a me eſt propoſita, ſed ad caput de ophthalmia catarrhali et rheumatica translata. Unam oedema oculi, alteram Eryſipelas bulbi vocare conſtitui.

§. 309.

Prior, uti omnes ophthalmiae, quae huc pertinent, cito ſuboritur cum ingrato oculi pruritu atque tali ſenſu, ut quaſi arenula inter bulbum et palpebras haerere videatur. Advocatus ad aegrum medicus tunc jam tumidam videt bulbi conjunctivam ab aquoſa congerie in cellulis ipſius detenta, una cum majore ſanguinis copia in membranae laudatae vaſis ſtagnante. Tumor iſte mox eo modo augetur, ut cornea ab ipſo valli inſtar circumdetur, atque phaenomenon iſti ſimile ſuboriatur, quod in chemoſi conjunctiva exhibet per inflammationem ſanguine referta. Tumor oedematis una palpebras a limbo ad exteriores usque margines, incipit occupare, nec raro Eryſipelas oedematodes in facie ſuboritur, oculi et palpebrarum vitio adhaerens.

§. 310.

Morbus omnis quidem periculi expers cito ſanari poterit, ſi recta uſus fueris methodo. Veſicatorium in nuchis, donec rubor oriatur, impoſitum, atque regimen diaphoreticum per dies nonnullos obſervatum, una cum topico caloris ſicci et aromatici uſu malum citius extinguunt. Oedemate jam amoto et ſolo con-

junctivae rubore ex ipſo adhuc ſuperſtite, ſolutio lapidis divini reliquias hasce ſanabit.

§. 311.

Eadem ſanatio locum habebit in Eryſipelate oculi ſeu conjunctivae potius, quod ſemper etiam ex cauſa pendebit rheumatica et catarrhali. Conjunctiva bulbi cum pruritu atque ingrato tenſionis ſenſu ſub motu oculi atque palpebrarum aucto ruborem leviſſimum oſtendit, atque tumorem quidem ſed tenuem atque inaequalem, ut vix ultra corneae margines exſurgat. Lacrymarum ſecretio ſaepiſſime imminuta reperitur. Plerumque cutis quoque palpebrarum ſtatum habes eryſipelatoden cum hacce conjunctivae inflammatione conjunctum. — Quodſi quis inſcitia plenus, hocce oculi eryſipelas et oedema fluidis praeſertim remediis atque unguentis irritantibus oppugnare fuerit conatus, non ſolum inflammationis atque doloris incrementum, verum ipſius etiam tranſitum ad chemoſin atque ophthalmoblennorrhoeam et internorum oculi organorum phlegmonen ex cura tam inepta ortum eſſe intelliget.

§. 312.

Utraque inflammationis ſpecies, et Eryſipelas et Oedema oculi gradu tantum initio differre videntur, ut Oedema graviorem quidem prae ſe ferat morbi vehementiam, Eryſipelas contra minorem, ſeu tantum ipſius mali initium. Attamen cum diagnoſin ſublevare et ſic ſanationem reddere faciliorem in toto meo opere ſtuderem, peritiores eam ob cauſam mihi veniam rei hoc modo tractatae concedent. Longe quidem ab illorum abhorreo vitiis et abuſu, qui omnes unius morbi transmutationes atque mixtum ipſorum ſtatum ut novum venditant morbi genus, eoque modo morborum in varias claſſes atque genera diſtributorum ambitum ſine juſta cauſa nimium quantum auxerunt. — Eryſipelas caeterum eadem indiget medendi methodo, uti iſtam in oedematis oculi deſcripſimus ſanatione.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

De Ophthalmoblennorrhoea.

§. 513.

Ad inflammationum in oculo humano genus nunc deſcribendum tranſimus, quod cum ob ſymptomata, quae exhibet admodum ſingularia, tum ob cauſam ſingularem, quae ipſi ſubeſſe ſolet, et ob medendi methodum, qua in ſanatione ejus medicus uti cogitur, — ſummam excitat attentionem noſtram, et ipſius oculi cum omni reliquo corpore arctiſſimam monſtrare valet conjunctionem. Ophthalmia iſtos tantummodo aegros laceſſet, qui magna organismi atonia atque debilitate adfecti, eandem etiam in oculo habebant. Senſibilitas aeque atque irritabilitas in oculo oppreſſa reperitur ophthalmoblennorrhoea adfecto, membranae ſimul bulbi mucoſae praecipuam exhibent morbi ſedem, et vim vitalem oculo propriam ſic oppreſſam atque deperditam animadvertimus, ut exitus inflammationis funeſtior in ophthalmoblennorrhoea multo citius adſit, ipſique viſui oculique formae pericula minitetur. — Ophthalmoblennorrhoea omnino in oculo ille morbus eſſe videtur, quam videmus in toto organismo ſub typhi perfecti forma, ubi utroque ſyſtemate ſimul ſuppreſſo atque exhauſto vix ac ne vix quidem organismum extollere valemus. Attamen typhus per ſe conſiſtit. Ophthalmoblennorrhoea vero ex debiliore totius organismi ſtatu originem ducit, et cum ipſo ita quidem conjuncta manet, ut corpus reliquum alias ſanum eſſe videatur, et morbus oculi tantummodo ſymptoma ſtatus in toto corpore praeſentis adſit, quod quaſi ea prodat, quae abſcondita ſunt in reliquo corporis organismo vitia debilitatis.

§. 514.

Symptomata ophthalmoblennorrhoeae videmus quidem in

aliis etiam oculi inflammationibus. Attamen varia ſunt, quibus haecce perfacile ſejungi poſſint a morbo, qui genuina quaſi ophthalmoblennorrhoea nominari meretur. Sic phaenomena ipſius jam habebis in ophthalmia gonorrhaica, et in ophthalmoblennorrhoea ex arthrtide ſuppreſſa pendente. Attamen utrique malo proprium quoddam et quaſi ſpecificum, ut vocant, malum ſubeſt, gonorrhoea nempe ſuppreſſa, vel ſaltem per tactus contagionem oculo admota, aut nimis cita arthritidis regularis vel mali alius arthritici ſuppreſſio. Eadem videmus in ophthalmia ſcorbutica et in ophthalmia recens natorum. Utriusque ſymptomata iſtis ophthalmoblennorrhoeae tantopere ſimilia ſunt, ut nonniſi cauſa ab hac diſcrepent, cum in hac priore ſcorbutus ſubſit, et ſingularis ſyſtematis ſanguiferi depravatio, in altera vero laxitas corporis infantilis per ſe quidem ſani cauſam exhibeat phaenomenorum. Utriusque vero mali ſymptomata ophthalmoblennorrhoeae genuinae ſimillima reperiuntur.

§. 315.

Symptomata morbi cum iſtis blepharophthalmiae et ophthalmiae externae, uti jam a nobis deſcripta ſunt, incipere ſolent. Mox malum conjunctum apparet cum inſigni palpebrarum tumore, eryſipelate cutis ipſarum externae et muci purulenti ſecretione inſigni, qui magna copia genas ipſas ſolet irrigare. Symptomata nunc adſunt blepharoblennorrhoeae. Dolor ſub initio gravis cito imminuitur, nec aegri de iſto non ferendo aut photophobia amplius conqueruntur. Malum mox ad bulbum ipſum eo modo tranſit, ut conjunctiva tumere incipiat, et ipſius tumor eo modo augetur, ut, — ſicuti in chemoſi videmus, ipſam corneam obtegere incipiat, quae in media tantummodo parte erit conſpicienda. Attamen a chemoſi ſincera malum in eo differt, quod tumor non tantopere rubeat, quod non durior ſit, aut cum dolore graviore conjunctus, — cum tactum facillime ferre poſſit. Denique etiam muci purulenti profluvium ſat grave ophthalmoblennorrhoeam facillime a chemoſi

diftinguere jubet fincera. Praeterea tumori conjunctivae fuperficies eft impar, et inaequali modo corneae ambire folet margines, ut lobuli quafi varii hancce obtegere incipiant. In chemofi contra habebis in omni margine aequalem tumoris ad corneam extenfionem, et conjunctivae tumidae durities omnem fere lobulorum ex ipfa impedit conformationem.

§. 316.

Bulbo tali ratione laborante vera exoritur ophthalmoblennorrhoea. Multo major effluit muci copia, et genae faepius ipfis penitus irrigantur. Sed haecce omnia non tam triftes exererent effectus, neque vifum cum ipfa oculi forma abolerent, nifi malum cito ad ipfam corneam extenderetur, eamque vaftationum fedem eligeret. Etenim tumore conjunctivae bulbi cum muci profluvio exorto, intra corneae ipfius laminas puris incipit fecretio, primo jam adfpectu facillime cognofcenda, cum perfpicuitate priftina orbetur corneae, atque color ipfius in flavidum tendere incipiat. Aegrotus vel plane nil, vel pauca tantummodo fub oculorum fenfum pofita hoc in ftatu difcernere valebit. — Verum non folum intra corneae laminas quaedam effunditur puris copia, fet ulcera etiam purulenta corneae fuperficiem vaftare incipiunt. Sedent in margine primo corneae fcleroticam tangente, ibique ex forma ejus fibrarum circulari incurvam etiam formam adipifcuntur. Pedetentim altius penetrant, per totam adeo, fi plura fuerint, corneam extenduntur, et in malo perfecto atque confummato pluribus in locis ipfam hancce perforare incipiunt membranam.

§. 317.

Quo facto humor aqueus per oftiola facta effunditur, iris in ipforum margines penetrat, et in quolibet ulceris oftio iridis exoritur prolapfus. Cognofcitur tale malum corpusculo obfcuriore, paullulum elato, iridis in oculo colorem geftante, priftinumque foraminis locum occupante. Malum fi eo usque jam

auctum fuerit, magnum exinde redundat inflammationis atque doloris ipſam comitantis incrementum, cum ipſa iridis ſuperficies inflammari incipiat. — Quando denique ulcera purulenta corneam majori gradu depaverint, ut et media membranae pars corrupta ſit atque multiplici ulcere perforata; tum etiam ipſa lens capſula ipſius rupta prodit et per corneam ſic deturpatam prolabitur.

§. 318.

Inflammatio per ſe quidem, morbo ad talem gradum aucto, imminui ſolet. Attamen omnis ſpes et viſus et formae oculi conſervandae peribit. Cornea in cicatricem mutata albidam atque caeruleam omnem viſum penitus intercludit. Interdum etiam in ſtaphyloma perfectum aut racemoſum, uti vocatur, immutari ſolet. Prioris cum ſumma corneae corruptione locum habentis cauſas alio loco exponamus. Alterum vero, quod racemoſum vocatur, ex multiplici iridis pendet per corneae foramina prolapſione, — et ex concretione prolapſarum iridis partium cum cornea obſcurata. Videbis inde ſuperficiem corneae albidam et caeruleam eminentiis ſibi invicem adpoſitis obtectam. — Saepiſſime vero etiam haecce vitia organica per ophthalmoblennorrhaeam in cornea producta non unica reſtant. Tota oculi nutritio hocce morbo tali ratione depravatur, ut bulbi univerſalis inde ſuccedat atrophia. Qua quidem ſuborta ambitus oculi imminui ſolet, atque in graviori caſu penitus fere evaneſcit.

§. 319.

Quod prognoſin attinet, iſta in omni ophthalmoblennorrhoea gravior erit, cum ob rapidiorem vaſtationum ex ipſa decurſum, cum ob inſignem et oculi et totius corporis virium jacturam. Attamen meliora praedicere licet, morbi ſi primum ſtadium jam recte poterit ſanari, et ſi omnis alius morbi ſingularis, uti arthritidis ſuppreſſae aut contagii blennorrhoeae vi-

rulentae expers oculi inflammatio reperitur. Pejora vero contrarius hisce ſtatus promittere ſolet. Peſſima denique annuntianda erunt, ulcera in cornea ſi plura adfuerint, quae alte penetrant et corneam perforant, ſi iris prolapſa ſit, cornea jam tota deſtructa, atque lens per ipſam prolapſa. Etenim vix aut plane non retinebit aeger videndi facultatem. Denique ambigua ſemper ſit prognoſis in ophthalmoblennorrhoea iſta, quae jam purulenta oſtendit corneae ulcera, et quae in aegroto adeſt paupere, qui nec nutrimento lautiore, nec largiore corticis uſu et habitaculi melioris et puro aëre inſtructi beneficio medici ſuſtentare valet labores.

§. 320.

Aetiologia facilis eſt ophthalmoblennorrhoeae idiopathicae, nec iſtius, quae ex, contagione aut arthritide ſuppreſſa originem ducit. Duplex omnino adeſt morbi idiopathici cauſa. Primo eſt ea, quae ophthalmiam externam conſtituebat. Qualis quidem multiplex erit, et ea praeſertim, quae catarrhalem gignere valet morbum. Altera vero, quae ex virium totius corporis atque oculi defectu atque atonia pendet. Utraque ſi recte juncta fuerit, vix ac ne vix quidem ophthalmoblennorrhoeae originem deſiderabis.

§. 321.

Indicatio ad ophthalmoblennorrhoeae ſanationem triplex locum habebit. Primo eſt ea, quae vires totius organismi ejusque vigorem extollere jubet, — altera quae etiam atoniam tollit bulbo conſpicuam, — tertia denique, quae et ſecretionem abnormem ibidem ſubortam extinguit et in rectam partis transmutat nutritionem.

Prior expletur largo corticis, — vel ſi malum levius fuerit, caryophyllatae cum calamo aromatico mixtae uſu. Decocto utriusque remedii utatur aegrotus, cui et liquorem anodynum et pauxillum Laudani addas. Quibus pergendum erit, donec aegrotus penitus fuerit ſanatus.

§. 322.

Altera indicatio, quae atoniam bulbi ejusque membranarum et vaſorum tollere jubet, ſicut et tertia ophthalmicis indigent localibus. Oculus quavis quarta vel dimidia horae parte a muco liberetur magna copia effluente per aquam ſimplicem ophthalmicam cum Laudano paratam, cui tamen plus Laudani addatur. Semel, aut in caſu graviore bis in dies Laudanum purum oculo affecto penicilli ope illinatur; — et quod caput rei eſt, ſacculi diſcutientes cum camphora parati bulbo ita quidem imponantur, ut praegreſſa ſemper ipſius per aquam ophthalmicam abluitione calore ſicco et aromatico ſit fovendus.

§. 323.

Quibus omnibus pergendum erit, donec ophthalmoblennorrhoea feliciter fuerit extincta. Tranſit nunc in formam ophthalmiae externae ſimplicis, quae et conſueto more caloris ſicci ope et ſolutione lapidis divini ope curetur, donec penitus diſparuerit. Maculae, ſi in cornea apparuerint ſanabiles, unguento cum mercurio praecipitato rubro parato amoveantur.

§. 324.

Ad hoc ophthalmoblennorrhoeae genus etiam iſta pertinet ophthalmia, quae inter Aegyptios tanto cum furore graſſatur, et numerum obcoecatorum in iſta infelici terra tantopere adauget, ut inde etiam ophthalmiae aegyptiacae nomen acceperit. Scitu digniora et uberiorem ejus mali deſcriptionem noſtra aetate accepiſſemus, ſi medici Francogallorum in hacce terra quondam degentes occaſione ipſis oblata melius fuiſſent uſi, et ſi loco venaeſectionum atque purgationum alvi, qua aegrotos iſta ophthalmia adfectos vexare non detrectabant, — et uberiorem experientiae in iſto malo copiam colligere, et medendi methodum excogitare aptiorem ſtuduiſſent. — Secundum ea, quae ex morbi deſcriptione recentiori aetate edita conjicere licet, non una cauſa, ſed plures eo conferre videntur, ut malum in hacce terra tam fre-

quens et epidemicum fere, et cum tanto ſimul malignitatis vigore conjunctum graſſetur. Huc pertinent etiam frequens iſta temperiei mutatio, morbis exhibens catarrhalibus occaſionem, nimis calida capitis integumenta, iſtis in terris admodum conſueta, exhalationes ex canalibus, piſcinis atque lacubus paludoſis, perpetuus terrae albicantis et oculos, ſi ſole tacta fuerit, valde incitantis adſpectus, repetitus ciborum, qui cali in ſe continent, uſus, denique ſingularis aëris depravatio, quam, licet nondum adcurate poſſimus deſcribere, omnes tamen, qui in hacce terra fuerunt verſati, queruntur. — Quae omnia in Aegypto nec extra Aegyptum locum habere, uberius experientia monſtrat. Etenim ophthalmia adfecti Aegyptum relinquentes citius convaleſcunt, omni ſimul alia medela aut cautione ſaltem abſtinentes, — et ſi vera ſunt ea, quorum Himly mentionem injicit [1]), etiam vitia oculi organica, quae ex ophthalmia aegyptiaca originem duxerant, absque omni artis ope imminuuntur, ſi aegroto iſtis adfecto iſtam regionem infauſtam relinquere contigerit. — Equidem cenſeo, ex adcuratiore ophthalmiae aegyptiacae deſcriptione et ex repetitis obſervationibus de iſta collectis plura, eaque memoratu digniſſima ad univerſam de oculi inflammationibus doctrinam aliquando eſſe redundatura.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

De Ophthalmia recens natorum.

§. 325.

Morbum oculi inflammatorium in infantibus recens natis tali modo decurrentem, ut, licet in externis praeſertim oculi par-

[1]) Ophthalmologiſche Bibliothek, von Schmidt und Himly, Vol. II, 1 Stück, S. 194. ſeq.

tibus morbus haereat, et uti ipſarum inflammationes conſueto more decurrat, quaedam tamen ſingularia adſint ſymptomata, ex corporis infantilis natura ejusque in externa incitamenta reactione explicanda, — ſub ophthalmiae recens natorum nomine comprehendimus.

§. 326.

Malum eſt gravius oculi, quod male tractatum multos luminis uſu eo modo deſtituit, ut inſanabili coecitate laborent. Ex eo inde tempore demum, quo ophthalmiatria melius excolebatur, etiam hujus ophthalmiae mentionem videmus injectam in ſcriptis medicorum et ophthalmiatrorum, — cum antea, quo tempore oculi ſingularem naturam prae reliquis corporis organis minus reſpicientes, ejus inflammationes uti illas reliqui corporis tractarent, ſaepius infauſti obſervari poſſent ophthalmiae recens natorum effectus, quam recentiori aetate, qua ex parte ſaltem medicorum nonnulli medendi methodo magis adaptata utuntur.

§. 327.

Medici ſeculi XVII primo in ſcriptis ſuis morbi laudati injicere incipiunt mentionem. Verum medio ſeculo jam praeterlapſo plenior et magis perfecta nobis data eſt hujus morbi deſcriptio. Primo Warnerus in opuſculo ſuo de morbis oculorum (Londini, 1775) edito tale peregit opus, ſucceſſorem habens inter Britannos Warium, qui ſine dubio primus adſtringentium uſum in morbo laudato de meliori nota commendavit. Attamen ophthalmiam neonatorum inter Germanorum medicos celeberrimi viri Reilius atque Schmidtius tali modo deſcripſerunt, ut exteris hisce palmam praeriperent, atque non facile quisquam dictis ipſorum bene intellectis in ophthalmia neonatorum errorem committat, infelici eventu conſpicuum.

§. 328.

Cauſae ophthalmiae recens natorum variae reperiuntur, quarum contemplatio medicum adjuvabit et in malo evitando, et

ſi ortum fuerit, bene ſanando. Prima cauſa latet in refrigerio, cui cutis infantilis majore adhuc ſenſibilitate praedita minus caute exponebatur. Cum vero cutis in infante recens nato tam ſaepe et tam graviter laboret, ſi ex calore materno in aliam et ſaepius multo frigidiorem tranſit atmoſphaeram, et conſenſus ejus cum membranis oculi externis tam arctus ſit, vides inde ophthalmiae recens natorum cauſam admodum frequentem in refrigerio poſitam eſſe. Talis refrigeratio excitatur, ſi partus hyemis tempore in conclavi locum habet frigidiore, ſi infans recens natus lavacro immittitur non tepido, ſed frigido, uti naſutum quendam ſacerdotem ſui infantis morbum adducentem vidi, qui eo mirum robur filiolo ſuo inſtillari poſſe opinabatur, — ſi ſacro fonte adſpergitur infans paucis poſt partum diebus in templo frigido veſtimentis levioribus indutus, et ſi aqua frigida, non tepida, uti fieri debuiſſet, adſpergitur, et ſic porro.

§. 329.

Alia cauſa latet in incitamentis abnormibus, oculum ipſum protopathice adficientibus. V. c. ſi infantem noctis tempore natum obſtetrices incautae ſub lucentis candelae ſplendore lavant atque involvunt, qua occaſione ſemper oculos antea obtegere cauta medicorum prudentia jubet, cum alias non ſolum oculi inflammationes, verum etiam graviora bulbi mala, cataracta, et retinae paralyſis timenda ſint, — ſi in coena nocturna, ſollemnem baptismi ritum excipiente, convivae atque ſponſores utriusque ſexus ſibi infantem recens natum ad candelae lucem viciſſim tradendum curant, ut ex ejus facie utrius parentum ſuorum ſimilitudinem prae ſe ferat, intelligant, — ſi ſolis radiis incaute exponuntur oculi infantis, — ſi infans in aëre nutritur minus puro, exhalationibus noxiis, particulis ammoniacalibus et fumo plenis, — aut ſi denique vis externa oculo infertur, quod praeſertim ſub ipſum partus tempus fit a capite nimis atque juſto diutius compreſſo, aut ſi obſtetrix illud tangens vim oculis intulit, aut ſi ulla alia ratione rudi manu illos tractavit. — Quae

omnia vel ſola, vel cum refrigerio una accedente juncta ophthalmiam neonatorum accelerabunt.

§. 330.

Denique etiam ab infectione contagii francogallici in tranſitu capitis per vaginam facto ophthalmiam neonatorum ſubortam vidimus, in infantibus, quorum matres albo fluore ſiphilitico laborabant. Decurrit morbus tali in caſu, uti ophthalmia gonorrhaica in capite de ophthalmia ſiphilitica deſcripta, attamen paullo rapidiore decurſu, quam gonorrhoea oculi adultorum, uti laxitas fibrae infantilis conjicere nos jubet. Differentia ipſius ab ophthalmia neonatorum ſimplici eadem eſt, quae illa ophthalmiae gonorrhaicae a ſimplici ophthalmoblennorrhoea, multo celeriore incedit paſſu, et multo celerius aegrotum viſu deſtituere ſolet. Remedia eadem requirit, quae ophthalmia gonorrhaica adultorum, habito ſimul corporis infantilis atque remediorum ipſi magis idoneorum reſpectu. — Saepius etiam fluor albus in matre non ſiphilitica, ſeu benignus, uti vocatur, ophthalmiam in recens nato excitare valebit.

§. 331.

Num et ab ulceribus venereis vaginam obſidentibus muliebrem tali modo infantis oculus adfici queat, ut ulcera venerea limbum palpebrarum obſidere incipiant, nondum experientia nobis demonſtravit. Conjiciendum erit, tali in caſu ulcera multo rarius in palpebris, quam in reliqua capitis ſuperficie proruptura eſſe. Quando autem locum habuerint, univerſalem requirunt contra morbum francogallicum medendi methodum, et localem aquae ophthalmicae cum Sublimato paratae ad palpebras adplicationem.

§. 332.

Sed tranſeamus ad ſimplicem recens natorum ophthalmiam, ejusque ſymptomata atque decurſum. Modo ſub forma blepharo-

blennorrhoeae, modo ophthalmoblennorrhoeae apparet. Saepius quidem et in infantibus magis robuſtis palpebras modo ſedem eligit morbi, et inde ſine dubio Schmidtius ophthalmiam neonatorum ſub forma blepharoblennorrhoeae deſcripſit. Attamen, — ſi malum in iisdem aegrotis etiam ad bulbum ipſum transgreditur, et ophthalmoblennorrhoeam adducit, — cur non etiam hancce ophthalmiam neonatorum vocare liceat? Semper tamen initio ſimplex adeſt blepharoblennorrhoea, quae deinde demum certis in aegris et ſub medendi methodo minus apta in bulbi ipſius blennorrhoeam tranſit.

§. 333.

Symptomata mali quidem eadem adſunt, quae in ſimplici blepharophthalmia glanduloſa adultorum aut in ipſorum ophthalmoblennorrhoea animadvertuntur. Attamen fibrae in infantili corpore laxitas cum aucta et ſenſibilitate et vi reproductiva conjuncta celeriorem adducunt morbi decurſum atque proniores reddunt partes affectas et ad tumorem et ad ſecretionem abnormem ex illa inflammatione. Quae omnia in aegrotis eo magis locum habebunt, quo debilior infans, et quo magis ſyſtema irritabile depravatum cum diatheſi detegitur ſcrophuloſa, quae quidem in tam tenera aetate minus clara erit atque aperta.

§. 334.

Incertum eſt vitae tempus, quo primum in infantibus ophthalmiae initium obſervamus. Tertio, quarto, ſexto, decimo, decimo quarto vitae die aut adeo quatuor et ſex poſt partum ſeptimanis originem videbis ejus mali. Quando autem ſerius exoritur, tribus, quatuor, ſex et pluribus menſibus praeterlapſis, non amplius ad ophthalmiam pertinet neonatorum, ſed magis ad ophthalmiam ſcrophuloſam et blepharophthalmiam impetiginoſam, ſi impetigines capitis, cruſta lactea, etc. adfuerint, aut ad ullum aliud oculi inflammationum genus. Partes corpo-

ris in infante jam laxitate ista destitutae reperiuntur, quae praecipue in ophthalmiae neonatorum comitatu reperitur.

§. 335.

Sub initio morbi, si blepharoblennorrhoea adest, videmus leviorem limbi palpebrarum ruborem, cum muci secretione, qui albidus reperitur. Mucus mox per totam extenditur conjunctivae palpebrarum superficiem, atque inter bulbum et palpebram inferiorem collectus haeret. Conjunctiva bulbi sub morbi initio ne rubore quidem obtecta reperitur, quod sub ipso morbi incremento tamen locum habere incipit. Conjunctiva palpebrarum autem a tarsi extremo margine ad illum usque finem, quo ad bulbum transit, et rubens et paullulum tumida conspicitur. Tale est primum stadium morbi, a Schmidtio sic vocatum.

§. 336.

Secundum blepharoblennorrhoeae neonatorum stadium incipit sub tumoris conjunctivae et effluvii mucosi incremento. Tumor conjunctivae saepius tali modo increscit, ut, si vel bulbus re vera a morbo immunis reperiatur, media tamen pars tumoris ad palpebrarum usque penetret intervallum, atque tali modo levissima quaque causa accedente Ectropii initium atque naturam maturet. Rubor partium una augetur, ut etiam bulbi conjunctiva talem ostendat. Ob photophobiae incrementum palpebrae per longius temporis spatium clausae manent, atque spasmus iis inesse videtur, ut adeo nulla ratione ipsas aperire valeas. Rubet tumetque et externa palpebrae superioris cutis et sub omni aegrotorum nisu, clamore, corporis intentione et tumor palpebrae externus augetur, et lividum admittere solet colorem. Quando tali in statu, si palpebrae conjunctivam habes mirum quantum tumentem, ut prae ipsa vix bulbum cognoscere queas, — oculum vi quadam aperire velis, praesertim aegrotis clamitantibus, persaepe et irrita erunt conamina tua et ectropium efficies, quod, nisi citius restituatur, et ex abnormi conjunctivae aëri expositae augmento permanens redditur.

§. 337.

Muci natura etiam ſub morbi incremento mutatur. In infantibus robuſtis, qui jam ſub initio ſpiſſiorem oſtendebant mucum albidumque, malo increſcente magis flavidus redditur et purulentus, atque inflammatione vehementiori copia ejus ita creſcit, ut magna copia ex genis ad palpebras defluere incipiat. Interdum et gena oculi adfecti una tumere incipit, et membrana mucoſa narium et ſacci lacrymalis una adficitur, ut ex naribus etiam ſimilis effluere ſoleat mucus. Tali in morbi gradu ſanguinis effluvium ex oculis magis minusve inſigne ita quidem ortum, ut mucus purulentus ab ipſo tingatur, laetum exhibet ſignum. Etenim venae in conjunctivae ſuperficie illum ſanguinem cum inſigni inflammationis levamine fundunt.

§. 338.

In aegrotis minus vegetis et debilioribus mucus natura magis aquoſa praeditus atque tenuior reperitur, et partis illum ſecernentis labes etiam acrimoniam ipſi infert plus minusve inſignem. Tunc ſub ipſo mali incremento paullo ſpiſſior quidem exiſtit, ſubflavum tamen, imo ſubviridem colorem demonſtrans, et celeriorem plerumque ad bulbi conjunctivam inflammationis transgreſſum, et tumorem palpebrarum majorem et inflammationem genae oculi adfecti eryſipelatoſam cum tumore cutis junctam producit. Tunc praeſertim opus erit interno medicamentorum uſu, ſi aegrotos hoſce tali ratione ſanare velis, ut morbus ſicut in iis decurrat, qui corpore robuſtiore gaudent.

§. 339.

Quod ſecundum attinet morbi ſtadium, in illo etiam corpus univerſum ex continuata partis inflammatae reactione laborare incipit, inprimis ſi aegri jam antea debiles et male nutriti conſpiciebantur. Infantes die nocteque quiete ac ſomno et ciborum appetitu deſtituti tempus terunt. Nutritio corporis eo modo magis minusve corrumpitur, ut ita vi producendi magis laeſa et

in infantibus jam antea male vegetis morbus ille chronicus una exoriatur, quem ſub atrophiae infantum nomine comprehendunt. Quae quidem, ſi una locum habuerit, oculi inflammationem paullo diuturniorem reddit, — tamen plerumque ophthalmia recte tractata feliciter ſanatur, antequam infans ex atrophia diem ſupremum obire poſſit.

§. 340.

Sub tertio morbi ſtadio ſymptomata ejus denuo decreſcunt. Muci ſecretio magis magisque imminuitur, et ſpiſſior conſpicitur mucus. Tumor conjunctivae palpebrarum indies tenuior fit, et aegroti, palpebris ipſorum aqua tepida antea a muco inhaerente liberatis oculos facilius aperiunt, praeſertim ſi in cubiculo verſantur tenebricoſo, aut diluculi tempore. Alias ſenſibilitas quaedam oculorum reſtare ſolet, faciliorem oculorum impediens apertionem. Tandem et muci ſecretio penitus deſinit, rubore quodam in conjunctiva palpebrarum ſuperſtite, qui vero aptis denuo extinguitur medicamentis.

Simul etiam univerſi corporis labes ex tali oculi inflammatione, ſi recte fuerit curata, nec in atrophiam verſa citius decreſcit, ut adeo ſub tertii ſtadii initio plane non locum habere ſoleat. Magis tranquillantur aegroti, rarius lacrymas fundunt, facilius dormiunt, victum lubentius comedunt cum laudabili virium incremento. — Interdum et ectropium remanet ex morbo perpetuum, cujus cura ex artis lege erit inſtituenda.

§. 341.

Quod prognoſin attinet, ea proponenda erit et ex oculi affecti et ex corporis univerſi ſtatu. Inflammatio ſi tantummodo conjunctivam palpebrarum ita obtinuit, ut bulbus integer manſerit, meliora praedicere licet. Etenim certa ejus blepharophthalmiae periodus etiam certam adferre ſolet ſanationem. Meliorem adeſſe ſtatum conjicimus, ſi morbus non vitia partium organica adduxit, qualis eſt nimia et luxurians conjunctivae palpebrarum incraſſatio,

cum ectropio permanente juncta. Contra pejor adeſt mali ſtatus, ſi bulbus inflammatione una laborare incepit, — tunc vero jam ad ſequens ophthalmiae neonatorum genus, ad ophthalmoblennorrhoeam, non vero ad illam pertinet ſpeciem, cujus nunc propoſuimus deſcriptionem. Simili modo morbus male ceſſit, ſi conjunctivae bulbi levior obſcuratio remanet, aut etiam ectropium permanens fuit relictum. Cum vero utrumque malum aptis remediis facilius ſanari poſſit, tunc etiam non triſtiori infantis parentes prognoſi terrere cogimur.

§. 342.

Quod univerſi corporis ſtatum in comitatu ophthalmiae neonatorum conſpectum attinet, ille etiam reſpiciendus erit, prognoſin ſi rectam proponere decreveris. Malum locale diutius continuabitur, et facilius in ophthalmoblennorrhoeam cum omnibus hujus mali incommodis conjunctam tranſibit, ſi corpus infantis debile, nutritio ejus tenuior, et habitaculum ejus impurum, exhalationibus mephiticis plenum, — quarum foetorem plerumque animadvertimus in aedificiis ad excipiendos infantes expoſitos et artem obſtetriciam in parturientibus exercendam deſtinatis — reperitur, et ſi veſtimenta infantis ſordibus ſqualida cum recentibus et bene lotis non ſaepius permutantur. Contraria et laetiorem permittunt praedicationem. Graviora timenda ſunt, ſi infans ex locali inflammatione febri laborare incipit univerſali, cujus vehementia interdum organismum aut cum febri perimit, aut nutritionem ejus ſic labefactat, aut atrophia tandem vitam auferre poſſit.

§. 343.

Quod curam attinet blepharoblennorrhoeae recens natorum, ea ſemper in illa initur indicatione, qua morbi vehementia minuitur, atque ſtadia morbi breviora redduntur. Etenim, ſicut in omni blennorrhoea obſervamus, morbi decurſus ſemper firmus et conſtans reperitur, nec ſtadia mali ullo modo opprimere

valemus. Quod etiam in hacce blepharoblennorrhoea infantum, ſi eam curare velis, erit reſpiciendum. Praeterea labes univerſi corporis, ſi una adfuerit, medici excitare debet attentionem.

§. 344.

Quando ſub ipſo morbi initio, aut primo in ſtadio medicus accedit, locali utatur medicamento ſenſibilitatem partis nimiam opprimente, et inflammationem partis ita imminuente, ut muci profluvium morbi initio jam ſubortum lente procedat, tumoris conjunctivae incrementum, quantum fieri poterit, decreſcat, et ſic morbi decurſus levior et majoris vehementiae expers reddatur.

Tale quid praeſtat aqua ſimplex ophthalmica cum pauxillo Laudani parata, cujus ope, ſi tepidior fuerit facta, ſaepius indies, interdum ſemel, bis terve in hora ſingula oculus affectus erit lavandus, quod optime per ſpongiam, tali aqua impletam, peragimus. Frequentior uſus e mali atque ſymptomatum ejus vehementia pendeat neceſſe erit. — Ab unguentis vero cum mercurio praecipit. rubro vel albo paratis, uti illa Schmidtius de meliori nota commendare conatus eſt, experientia me hocce in ſtadio abſtinere coegit, cum inflammationis et ſecretionis morboſae phaenomena ſub uſu ipſorum augeantur. In tertio demum ſtadio utilitatem praeſtant, ſicuti etiam adſtringentia fortiora in omni blennorrhoea oculi ſub finem demum inflammationis praeſtant utilitatem.

§. 345.

Secundo in morbi ſtadio remedia eadem de meliori nota commendanda ſunt. Attamen Laudani copia erit augenda, praeſertim ſub vehementiori conjunctivae tumore. Laudanum purum una ſemel in dies oculo illinatur, et calor ſiccus bulbo ſacculorum diſcutientium ope admoveatur, qui quidem pro varia oculi ſenſibilitate magis vel minus aromatici adhibeantur. — Praecipuum vero hocce in ſtadio medici conamen eo dirigatur, ut oculum ab effluente muco tam ſaepe, quam fieri poterit, ſtudeat libe-

xare. Quapropter mihi ſaltem in primo et ſecundo morbi ſtadio aquae ophthalmicae prae unguentis de meliori nota commendandae videntur, cum ipſarum ope huic indicationi una medicus ſatisfacere poſſit.

§. 346.

Quando hisce remediis exceſſus actionum ita imminuitur, ut blepharophthalmia minori cum vehementia primum et ſecundum praeſertim morbi transcurrat ſtadium, — una etiam ad univerſum corporis ſtatum reſpiciendum erit. Infantibus inquietis, die nocteque vagitum edentibus atque victum minus avide appetentibus exhibeantur cauta manu volatilia ſtatui infantili magis apta, uti Liqu. C. C. ſuccinatus, vel Liqu. anodyn. min. H., — ita quidem, ut prioris ℈j — ʒj., poſterioris gutt. Vj — XV, in ℥ij aquae Foeniculi vel Meliſſae dentur, ex quibus omni dimidia horae parte cochlear parvum exhibeatur.

§. 347.

Symptomata abdominis adfecti, ſi ophthalmiam comitantur, in iis tantummodo infantibus locum habebunt, quorum digeſtionis organa primis jam poſt partum diebus ſyrupis iſtis lubricantibus, uti vetulae et medici iſtis perſimiles exhibere ſolent, — fuerunt debilitata. Tali in caſu clysmata ſimplicia cum amylo parata, et ſaepius injecta, inunctiones unguenti Althaeae cum oleo Chamomillae mixti in abdomen factae, et vitellum ovi crudum bis in die infanti porrectum ad perfectam ſufficient abdominis aegroti ſanationem. Etenim non ſolum ſecretiones ibidem turbatae in integrum reſtituuntur, verum etiam ſtatus amovetur ſpasmodicus, ſemper fere hancce aegri labem excipiens.

§. 348.

Morbo ſanationem non amplius impediente, tumore conjunctivae imminuto, muci ſecretione deſinente vel prorſus extincta, aegro ipſo quietiore et recta corporis univerſi ſanatione

ornato, localia quaedam remanere solent mala ex conjunctivae bulbi pendentia affectione. Primo et saepissime leviori antecedente morbi gradu rubor ejus remanere solet, cum sensibilitate oculi ipsius magis minusve insigni conjuncta. Status remediis indiget leviter incitantibus et systematis absorbentis in membrana adfecta actionem promoventibus. Unguenta tali in casu opem ferre possunt cum Tutia et aerugine parata, quibus et pauxillum mercur. praecip. albi addi potest, — seu unguentum ophthalmicum Ianini tali ratione paratum, ut ipsius partes aegroti sensibilitati aptiores reddantur. Quibuscum pergendum erit, donec omnes mali localis reliquiae evanuerint.

§. 349.

Alio in casu et in infantibus pastoso habitu instructis inflammationis vehementia extincta et muci secretione in serosam mutata, tumorem conjunctivae palpebrarum quidem ex parte imminutum, sed mole tamen insignem et paullo firmiorem videmus, ut sarcomatosus fere adpareat. Tali in casu eadem indicatio erit explenda, quam in casu morbi antecedentis, attamen paullo fortioribus indiget remediis, felicem si peragere decreveris sanationem. Unguentum cum mercurio praecipitato rubro paratum, quod copia mercurii magis magisque aucta exhibeatur, tali in casu, si semel aut bis in dies conjunctivae adfectae illinitur, formam et nutritionem ipsius pedetentim in integrum restituet.

§. 350.

Denique etiam, antequam ad ophthalmoblennorrhoeam nos convertamus infantum, de ectropio erit agendum in blepharoblennorrhoea infantum suborto, quod, si initio minus recte tractatum fuit, mox permanens redditur, et multo vehementiorem medici exigit operam.

Causae ectropii in blepharoblennorrhoea infantum originem efficientes variae concurrunt, uti jam Schmidtius recte adnotavit. Etenim et tumor conjunctivae palpebrarum nimius, si

praefertim ophthalmoblennorrhoea una praefente etiam conjunctivae bulbi tumore augetur, — et ipfius extra fpatium, quod a palpebris includitur, progreffus magis minusve infignis, — et tarfi inverfio tale quid efficere valent. Caufae tres, fi una locum habuerint, primam efficiunt ectropii caufam.

§. 351.

Tumore conjunctivae tam infigni tarfi inverfio ex caufa quavis leviori excitatur. Quales funt nimia corporis infantilis intentio inter clamandum et capitis motus facta, uti imprimis tumore conjunctivae mirum quantum aucto locum habebit, — et inepta temerariaque medici agendi ratio, oculos photophobia et fpasmo palpebrarum affectos aperire conantis tunc, fi vel tumor conjunctivae minor fuerit, facillime tarfi inverfio atque tumoris conjunctivae palpebrarum progreffus ad exteriora locum habebit, eoque modo ectropii in una alterave palpebra videmus originem.

§. 352.

Interdum tale ectropium per fe evanuit, fi nempe ophthalmia non graviore caufae ectropii evanuerunt, antequam tumor conjunctivae aëris acceffu naturam adeptus eft firmiorem, quae femper permanentis ectropii caufa habetur. Tale quid interdum fub infantum fomno locum habere folet. Attamen rarius tale quid invenitur. Quando igitur nocturni faltem temporis fpatio non fponte Ectropium evanuerit, medicus ad inverfionem ejus arte peragendam accedat, feliciter fi permanentis mali initium evitare decreverit.

§. 353

Inverfio tali modo peragitur. Pollicis et digiti indicis utriusque manus acumine oleo quodam feu febo inuncto, palpebra fi inferior ectropio affecta fuit, utriusque digiti in utraque manu acumine tarfum comprehendimus inverfum et quidem in

angulo et externo et interno, paullulum a bulbi ſuperficie amovemus, et deinde cum celeritate quadam tarſum palpebramque ipſam ad ſuperiora elevamus, — ita quidem, ut digitus index internae ſuperficiei impoſitus tumorem internum ad inferiorem conjunctivae palpebrarum partem deprimat.

Palpebra autem ſuperiore Ectropio laborante tarſi reſtitutio hac ratione peragitur. Pollice utriusque manus ad internam, indice ad externam palpebrae ſuperficiem adpoſito palpebram paullulum a bulbo amovemus, habita ſimul conjunctivae tumentis et protuberantis ratione, ut eam ad interiora premendo tumentes e conſpectu amoveamus partes, quibus peractis citius palpebram everſam digitis detrahimus. Ectropium palpebrae ſuperioris ſemper fere hac ratione in integrum reſtituetur.

§. 354.

Quam facilis ſit talis ectropii recentis artis ope reſtitutio exemplum probat, quod Beerius aliquando Vindobonae obſervaverat. Mendicus utramque palpebram utriusque oculi caeterum ſani ita evertere valebat, ut ectropium in iis omnibus perfectum oſtentaret, et ſic horrendo adſpectu civium excitaret miſericordiam. Quolibet mane tale ectropium manibus peragebat, veſperi in domicilium redux factus reſtituebat. Tandem vero artificio ipſius detecto ad utiliorem reductus eſt vitae rationem.

§. 355.

Quando autem Ectropium jam per longius duraverit temporis ſpatium, tumens conjunctiva aëris acceſſu ſtructuram adipiſcitur et firmiorem et omne reſtitutionis digito peragendae periculum reſpuentem. Tunc remediis incitantibus ipſius ſtructura in integrum erit reſtituenda, antequam ad ſanationem ectropii per repoſitionem accedere valeas. Quod peragitur unguento cum mercurio rubro, pauxillo Opii et ullo alterove adſtringente parato. Eo fortius erit parandum, quo diutius duravit malum, quo durior et minus ſenſibilis reperitur conjunctivae

tumor, et bis quotidie tota ipſo tumentis conjunctivae ſuperficies inungatur. In ſtatu autem contrario et minor inſit mercurii praecipitati copia, et ſemel tantum in dies adhibeatur. Graviori in caſu et lapide infernali tangenda erit conjunctiva in callum quaſi mutata, qui quidem, uti mea docuit experientia, nunquam medici fruſtrabit expectationem. — Tumore conjunctivae hac ratione imminuto ectropium ratione jam ſupra laudata digitorum ope per inverſionem tarſi penitus erit tollendum.

§. 356.

Quamvis blepharoblennorhoea neonatorum per ſe bulbum oculi neutiquam adficiat, tamen, ſi longior fuerit mali decurſus, quandam conjunctione bulbi adfectionem, ſine dubio per conſenſum ex conjunctiva palpebrarum originem ducentem obſervamus. Nititur illa in leviori conjunctivae intumeſcentia, quam ex leviori obſcuratione corneam obtegente cognoſcimus. Sponte in tam vegeto organismo evaneſcit, ſeu etiam, uti reliquae corneae obſcurationes per unguentum mercuriale rubrum pedetentim extinguitur.

§. 357.

Tranſeundum nobis nunc eſt ad ophthalmoblennorrhoeam neonatorum, quae altera et multo gravior eſt ſpecies inflammationis oculorum in infantibus recens natis conſpicuae. Semper cum blepharoblennorrhoea graviori juncta adparet, et male tractata aut in infantibus minus recte nutritis et debilioribus orta cito bulbi ipſius maturare valet deſtructionem.

Omnia eam comitantur blepharoblennorrhoeae ſymptomata uberius jam ſupra expoſita, eamque antecedunt. Levior bulbi rubor conjunctivam in blepharoblennorrhoea ſimplici obtegens mox vehementior redditur, cum tumore membranae facilius diſcernendo. Conjunctiva bulbi magis magisque tumet, et valli inſtar ſupra corneae margines elevatur. Reliqua inflammationis

oculi ſymptomata una augentur, et muci puriformis ſecretio non ſolum conjunctivam ſcleroticae et conjunctivam corneae ſed etiam corneam ipſam cum inſigni ipſius obſcuratione occupare incipit. Conjunctiva ſcleroticae tumida lobulos quaſi formet omnem corneae ſuperficiem a latere ſic obtegentes, ut parvam et interiorem corneae partem tantum palpebris apertis medicus cognoſcere valeat.

§. 358.

Incrementum morbi topici etiam univerſum corpus magis magisque afficere ſolet cum inſigni infantis inquietudine, febre et appetitus amiſſione. Malo ita aucto cornea magis magisque materia purulenta intra laminas ipſius atque in ejus conjunctivae ſuperficie effuſa tumet et obſcuratur, donec eo modo viſus jam ſit deſtructus. Exulceratio ſuboritur in latere ipſius ſuperficiei, quae vero cum inſigni materiei purulentae excretione juncta mox etiam interioris corneae laminas exedit, et magis magisque ad corneam accedit pupillae e regione ſitam. Cornea ſi mirum quantum intumuerit, *vorticis* purulenti inter ophthalmiatros nomen accepit.

§. 359.

Non ſolum vortex iſte purulentus in media parte corneae acumen quoddam accipit, cum craſſitie ejus in media parte imminuta, ubi tandem rumpitur, — ſed etiam ulcera iſta corneae lateralia iſtam ſub finem penetrare ſolent. Vortice in media parte rupto exoritur foramen, per quod lentem et interiores oculi partes medicus diſcernere valet. Sed mox capſula lentis rupta lens per foramen iſtud et capſulae et corneae extra oculum cum ſubſequente humoris vitrei particula ſolet prodire. Per foramina reliquis ulceribus corneae facta, ſi penetraverint, humore aqueo effuſo particulae iridis penetrant, multiplicem hujus membranae prolapſum efficientes. Cognoſcuntur ex punctulis nigricantibus omnem corneae ſuperficiem hic illic ob-

tegentibus. Tunc si ophthalmia sanata oculi formam integram retinuerit aegrotus, nec in atrophia bulbi malum desierit, uti saepius observamus, — semper tamen staphyloma corneae, sive perfectum, sive racemosum cum perfecta et insanabili visus remanet perturbatione.

§. 360.

Prognosis in omni ophthalmoblennorrhoea neonatorum est pessima. Etenim rapide procedit malum, atque aegrotos citius destituit luminis et oculi usu, praesertim, si infans debilior et minus bene reperiatur nutritus. Nihil certi unquam quoad visum in ipso mali initio definire audeat medicus, et si malum jam auctum et cornea exulcerata adest, certiora de infelici morbi exitu erunt praedicenda. Praeterea morbi vehementia, etiam saepius mortem infanti adfert, praesertim oculo cum cornea per pus effusum destructo atque colliquefacto. Nam pauculae vires citius exhauriuntur, et atrophia diem infans obire solet supremum. Attamen agenda erunt, quae ars jubet, et praesertim sub primo ophthalmoblennorrhoeae initio felicioris exitus non rara exempla reperiuntur.

§. 361.

Localis cura eadem exhibeatur, quae in graviori blepharoblennorrhoeae casu. Aqua mucilaginosa cum Laudano omni quarta aut dimidia horae parte oculus ab effluente muco liberetur, et semel aut bis indies Laudanum purum oculo sic adfecto penicilli ope inungatur. Praeterea sacculi discutientes cum herbis aromaticis parati oculi sic adfecto imponantur. Quibus ad illud usque morbi stadium pergendum erit, quo muci secretio desinit, et cornea si non nimium corrupta fuerit, nec in verticem purulentum mutata, vel ab ulceribus exesa, perspicuitatem pristinam recipit atque tumor conjunctivae penitus extinguitur. Quibus peractis Laudani inunctiones omittantur, et loco aquae mucilaginosae cum Laudano tenuior exhibeatur la-

pidis divini ſeu vitrioli albi ſolutio cum multo Laudono parata, qua tepida facta omni bihorio oculus erit lavandus. Sacculi diſcutientes una cum ipſa ad integram usque adhibeantur aegroti ſanationem.

§. 362.

Univerſi ſimul corporis ratio eo modo erit habenda. Abſtineat medicus ab omni alvum evacuantium uſu, cum medicamina, quae infantes jam debiles magis debilitant, ne ullam quidem oculo exhibeant utilitatem, imo potius bulbi accelerare ſoleant ſuppuratione deſtructionem. Abſtineat praeterea ab omni localium irritamentorum cujusvis generis uſu. Solis locus dabitur volatilibus levioribus et caute exhibitis, uti Liqu. C. C. ſuccinato, et pauxillo Liqu. anodyni min. Hoſm. cum aqua Foeniculi mixti, et ſi nimia aegrorum ſenſibilitas cum alvi profluvio admodum debilitante hoc poſcere videtur, paucae Laudani guttulae addendae erunt. Laudanum vero denuo omittatur, ſi infantis minor ſenſibilitas et alvi profluvium jam extinctum reperitur. Cum reliquorum volatilium uſu pergendum erit, donec ophthalmia penitus fuerit extincta.

§. 363.

Vitia organica oculi ex ophthalmoblennorrhoea neonatorum reſidua, prout natura ipſorum ſanationem admittit, erunt ſananda. Cicatrices corneae univerſales, ſeu ſtaphylomata univerſalia vel racemoſa omnem medici reſpuunt opem et niſi ſtaphylomata ob oculi formam aegro poſtulante amovenda ſint, intacta relinquantur. Cicatrices partiales, ſtaphylomata partialia e regione pupillae ſita et viſum occludentia pupillae artificialis poſcunt operationem, ſi reliquus eam oculi ſtatus admittat. In homine jam adulto, qui ex ephebis exceſſit iſta ope Coretonectomiae, ſive Coretotomiae Beerianae inſtituatur, cum Coretodialyſis lente in oculo praeſente ſit reſpuenda [1]. Obſcura-

[1]) Vid. Libellum meum: *De pupillae artificialis conformatione*, §. 63. ſq. —

tiones denique corneae ſine cicatrice locum habentes, conſueta artis ratione ſanentur.

§. 364.

Aliquid jam de ophthalmia recens natorum in univerſum ſub finem capitis nobis addendum videtur. Raro uterque bulbus oculi ſimul a malo corripitur, cum alterum plerumque minus, vel aliquo demum tempore interjecto inflammatum videmus. Sic morbi ſecundum jam ſtadium in uno adeſſe poteſt oculo, cum alterum primum modo primi ſtadii initium demonſtret. Unus oculorum ophthalmoblennorrhoeam ſubit, cum in altero morbus in anfractibus remaneat palpebrarum et blepharoblennorrhoeam, vel adeo lippitudinem leviorem producat. Rarius tamen unus oculus modo altero penitus illaeſo remanente in ſe morbi ſuſcipit vehementiam.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

De ophthalmia variolarum comite ſeu varioloſa.

§. 365.

Quando in aegrotis variolarum morbo adfectis oculi inflammatio ſuboritur, vel ſingulas oculi partes, vel totum etiam bulbum adfectura, ophthalmiam varioloſam adeſſe judicamus. Malum vario ſuboritur morbi tempore, varias adoritur oculi partes, et exinde vehementiam ejus et periculi cum ipſa juncti gravitatem medici obſervarunt diverſam.

§. 366.

Habes inde ophthalmias in ipſo variolarum decurſu, habes etiam oculi inflammationem nonnullis poſt variolas deſquamatas

diebus aut hebdomadibus praeterlapsis subortam. Posteriorem plerumque ophthalmiis scrophulosis adnumerarunt, cum corporis dispositio ex variolarum morbo relicta jure meritoque scrophulosa habeatur. Cum vero ophthalmia haecce multis in rebus ab illa mere scrophulosa differat, cum tempore exoriatur ad ultimum quasi variolarum stadium pertinente, cum praesertim medendi methodum ex parte requirat singularem atque diversam, eam ab ophthalmia scrophulosa separavi, descriptionem ejus in hocce de ophthalmia variolosa capite propositurus.

§. 367.

Antequam variolarum periculum insitione pustularum illarum Jennerianarum imminueretur, ophthalmiae variolosae non leve erant aut rarum in praxi medica malum, cumque medicorum quamplurimi aptam ejus omitterent curationem, aut aegroti ipsi auxilio medicorum destituti morbum oculosque una adfectos negligerent, — vides inde causam, qua plurimi homines deturpatis oculis visuque aut imminuto aut penitus sublato inter nos incedentes ophthalmias mere variolosas causam coecitatis accusare cogebantur. Nostra quidem aetate cum rariori variolarum morbo etiam ophthalmiae variolosae rariores extiterunt. Verum enim vero ipsarum loco scrophulosae oculi inflammationes multo frequentiores videntur adesse, de quibus jam suo loco nobis agendum erit.]

§. 368.

Decursus ophthalmiae mere variolosae, i. e. talis, quae cum ipso variolarum exanthemate juncta occurrit, varius est. Etenim modo sub forma blepharophthalmiae, modo sub forma blepharo- et ophthalmoblennorrhoeae, modo sub illa inflammationis oculi externae reperitur, quae interdum etiam ad interiora transit et iritidi adjungitur. Quod genus triplex nunc erit describendum.

§. 369.

Blepharophthalmia variolofa, quae folas modo afficit oculi palpebras, et quae in hominibus caeteroquin fat vegetis atque robuftis aut oculo non debiliore praeditis raro cum bulbi inflammatione juncta apparet, originem ex puftulis variolofis palpebram magis minusve obfidentibus ducit. Oritur cum ipfo variolarum exanthemate, et decrefcit cum ipfis usque ad perfectam morbi extinctionem. Symptomata adfunt blepharophthalmiae familiaria, rubor atque tumor palpebrarum ita pedetentim auctus, ut bulbi fuperficies externa penitus occludatur, et aegrotus per totum morbi exanthematici tempus luminis fit ufu privatus. Frequenter tranfit malum ad membranam facci lacrymalis internam. De his quidem jam alio diximus loco.

§. 370.

Magna muci copia ex interna palpebrarum fuperficie feparatur, et fat vehemens adeft dacryoftagia. Utrumque fymptoma magni ad morbi diagnofin atque curam eft momenti, uti fequenti demonftrabitur paragrapho.

Mera glandularum palpebralium inflammatio nullum adfert oculo damnum, nifi una adfint fymptomata bulbi ipfius inflammationem praenuntiantia. Cura univerfali recte inftituta localis tantummodo eaque fimplicior ad feliciorem morbi tranfitum fufficiet. Saepius per diem aqua ophthalmica cum Laudano parata ope fyphonis Anellianae per angulum oculi externum palpebrae abftergantur. Bulbus fi tumore nimio claufus reperitur, nec inflammatio extra palpebrarum limites eft progreffa, luminis radiis neutiquam exponatur, fed calor tantummodo ficcus ope linteoli fimplicis et calefacti ipfi admoveatur.

§. 371.

Ne praeterea palpebrarum cutis ftructura morbo immutetur, medicus attentus fit ad variolas ipfarum fuperficiem obtegentes. Quando pure refertae reperiuntur, ipfas follicita aperiat manu,

puris copiam aqua eluat ophthalmica, atque ſic variolas in ſimpliciora mutet ulcera, quae pedetentim ad ſanationem converſa minorem cutis atque limbi palpebrarum adducunt depravationem, quam ſi variolis clauſis et pure intra ipſarum cruſtas detento exſiccatio habuerit locum. Cujus ſententiae veritatem luculentius deturpatae eorum palpebrae demonſtrant, qui olim variólis laborantes tali modo tractati fuerant.

§. 372.

Etenim, ſi neglecta fuerit haec palpebrarum adfectio a variolis orta, maculae in iis per totam vitam remanent rubicundae, quarum rubor ſub quovis incitamento partem tangente aut frigore vehementiori augetur. Cilia decidunt, nec unquam poſtea per totam recreſcunt vitam. Interdum et tyloſis partialis aut perfecta in limbo remanet palpebrarum, quae, niſi in tempore fuerit tractata, rarius poſtea ſanabitur. Reliqua ex variolarum morbo in palpebris vitia ne primo quidem poſt morbum praeterlapſum tempore ſanationem admittunt, ſi ſemel morbo adhuc continuato ſuborta fuerunt.

§. 373.

Morbo denique ad finem properante ulcerum ex variolis reſtitantium ſanatio aqua leviori aluminata cum laudano parata, qua omni bihorio oculus lavetur neceſſe erit, aut ſolutione lapidis divini poterit promoveri. Interne ſimul aegris exhibeatur láxans leviter antiphlogiſticum et bis terve per diem gr. j. Calomelanos cum ſaccharo mixtum. Quae omnia ad integram aegri ex blepharophthalmia varioloſa reſtitutionem ſufficient.

§. 374.

In debilioribus aegris, praeſertim in iis, qui morbo ſcrophuloſo adfecti multo pejore variolarum laborant decurſu, haecce palpebrarum inflammatio aut blepharophthalmia facillime in blepharoblennórrhoeam et ophthalmoblennorrhoeam abit.

Praeſertim ſi ſub finem morbi inflammatio fuerit ſuborta. Methodus medendi in capite de ophthalmoblennorrhoea allata et hocce in caſu erit utilior. Verum enim vero pejor ſemper erit exitus timendus, ob ſingularem miasmatis varioloſi in oculos et in corneam effectum, qui in crebra materiei puriformis ſecretione et in ipſius corneae per ipſam obſcuratione nititur, quae vel a dexterrimo medico minus poterit impediri.

§. 375.

Prognoſis tali in caſu diverſa erit ex morbi ſtatu et tempore diverſo et hominis aegrotantis ratione. Medicus ſi initio fuerit acceſſitus, ſi leviter tantum blepharoblennorrhoea adfuerit, ſi bulbus nondum adfectus aut ſi ophthalmoblennorrhoea jam ſuborta cornea ſaltem libera atque ſecretionis puriformis expers, meliora poterit praenuntiare. Quando autem ſero tantum medicus ad aegrotum accedit, quando bulbus jam majori gradu adfectus, cornea jam ulceribus magis minusve inſignibus obtecta, purisque magna copia intra corneae laminas ſecreta haeret, peſſima quaeque erunt praenuntianda, quod et viſum et oculi formam attinet. Etenim plerumque organiſatio corneae eo modo deſtruitur, ut forma ejus pereat, et non ſolum obſcuratio ejus, ſed etiam unum alterumve genus ſtaphylomatis inſanabilem morbi prodat effectum.

§. 376.

Cura ophthalmoblennorrhoeae varioloſae eam ob cauſam gravior erit, et multa medico opponet impedimenta, — cum remedia non quadrare ſoleant contra ophthalmoblennorrhoeam genuinam celebrata, ſi univerſalis adeſt morbus cum febre ſingulari atque vehemente incedens. Non ſemper enim tali in caſu licet corticis infuſum cum volatilibus exhibere, aut victu admodum incitante et bene nutriente aegri vim excitare vitalem. Localis igitur cura praeſertim omne adferet auxilium, ſi illud adhuc ex morbi ratione ſit ſperandum. Aqua ophthalmica multo

Laudano impraegnata omni dimidia aut quarta horae parte materia puriformis bulbo adhaerens abluatur, ſemel aut bis per diem Laudanum aut Tinctura Thebaica penicilli ope oculo illinatur, et calor ſiccus et aromaticus per ſacculos herbis aromaticis et pauxillo Camphorae refertos parti inflammatae admoveatur. Veſicatorium praeterea ad utrumque proceſſum maſtoideum ea ratione ponatur, ut ſuppuratio in ejus loco per longum temporis ſpatium nutriri poſſit.

§. 377.

Quae ſi recte fuerint peracta, ſperare inde licet, effectu in quam plurimis caſibus non omnino deſtitutum fore medici conamen. Interne ſimul mercurialium uſus ex morbi ratione erit de meliori nota commendandus. Forte etiam, niſi ophthalmoblennorrhoea penitus hoc modo ſanari poſſit, ipſius tamen progreſſus hac ratione ſic infringendus erit, ut tandem morbi univerſalis ſtadium accedat, quod roborantium cum volatilibus mixtorum concedit uſum. Attamen in varioloſis ſemper attendat medicus, ut ſemper in talium medicamentorum uſu alvum ſervet lubricam et calomelanos uſum iis adjungat. Qua tantum ratione effectus ex variolis triſtiores poterit evitare.

§. 378.

Tertium denique morbi genus nititur in inflammatione oculi externa cum variolis ipſam obſidentibus. Blepharophthalmia interdum cum ipſa juncta reperitur, ut ita ſine alicrum ſymptomatum obſervatione ipſam bulbi adfectionem praenuntiantium eam vix ac ne vix quidem cognoſcere poſſit medicus, cum nimius palpebrarum tumor adcuratiorem ipſius oculi impediat adſpectum. Attamen clari in arte viri ſigna nobis exhibuerunt diagnoſtica, quibus, ſi vel exterior bulbi adſpectus medicum fugiat, ejus inflammationem cognoſcere valeamus.

§. 379.

Si blepharophthalmia adeſt cum aucto lacrymarum proflu-

vio et ſine photophobia, externam bulbi ſuperficiem integram eſſe judicare poterit medicus. Quando autem lacrymarum fluxus imminutus aut penitus oppreſſus reperitur, et ſumma luminis averſatio aegrum vexare ſolet, inflammationem bulbi ipſius adeſſe recte conjiciendum erit. Tunc alia aegrotus indiget medendi methodo, ſi viſus facultatem et oculi formam retinere voluerit.

§. 380.

Quae ophthalmia externa autem non ſemper cum ipſo ſuboritur variolarum initio. Interdum et in ſeriore exanthematis decurſu adeoque nonnullis diebus poſt deſquamationem accedit. Attamen tunc puſtularum in cornea exſurgentium non tanta copia et magnitudo reperitur, accedunt magis ad puſtulas in ophthalmia ſcrophuloſa corneam obſidentes, et tantummodo ob morbi praegreſſi vehementiam ejusque criſin non perfectam multo majore puris copia repletae reperiuntur, et corneae, ſi crebriores adfuerint, multo majora pericula adducunt.

§. 381.

In primo ejus ſtadio adeſt rubor bulbi diffuſus, uti in ſcrophuloſa ophthalmia conjunctivam primo occupans, dein vero in ſcleroticam extenſus et cum photophobia, dolore bulbi tenſitivo premente et dacryoſtagia junctus. Dacryoſtagia, uti ſupra adnotavimus, deſinit et in Xeroma abit, interiori bulbo ab inflammatione correpto. Unus alterve locus corneae perſpicuitate magis minusve orbatus reperitur, ut ita quaſi leviori videatur nebula obductus. Iritide nunc ſuborta et iridis immobilitas adeſt, et color ejus in margine interno immutatus. Exterior una inflammatio procedit cum conjunctivae tumore et macularum in cornea nebuloſarum augmento.

§. 382.

Etenim ſub ſymptomatum iſto augmento et rubedine bulbi

accrescente maculae istae in cornea ante conspicuae magis magisque exsurgunt, donec tandem in pustulas sic dictas fuerint transmutatae. Rarius in sclerotica, saepius in cornea conspiciuntur, cui prae omni alia oculi parte variolarum morbus noxam adferre videtur. Forma pustularum sat magna, rotunda et supra corneae superficiem elata, — tamen non conica, uti in pustulis ophthalmiae mere scrophulosae reperitur. Plerumque in media assurgunt corneae parte e regione marginis aut etiam mediae pupillae partis. Rarius ad exteriora, persaepe in cameram oculi anteriorem aperiuntur, atque pus effundunt. Quae si facta fuerint, natura quidem sola hocce ulcus oculi internum sanatur, attamen densa et insanabilis ejus locum occupat cicatrix qua aegrotus magis minusve destituitur visu.

§. 383.

Prognosis pessima, si aegrotus una iritide laborat aut adeo ipsi hypopion adjungitur. Atresia enim iridis semper fere hunc morbum excipiet. Pessima, si pustula non artis lege aperta naturae committitur aperienda, ut cicatrix insanabilis remaneat, — pessima, si plures pustulae, eaeque e regione pupillae adsunt. Etenim non solum cicatrices omnem visum intercludentes oriuntur, verum etiam corneae organisatio ea ratione destruitur, ut saepius in staphyloma abeat perfectum. — Meliora praedicare poterit medicus, si tempore primo ophthalmiae fuit accessitus, si pustulae pure plenae aperiri potuerint, si minor ipsarum adfuerit copia, nec e regione pupillae sint subortae. Laetior etiam est prognosis, si inflammatione in externis modo membranis haerente, iritis penitus abest.

§. 384.

Interne cum reliquo medicamentorum apparatu mercurialium usus et hocce in mali gradu medici neutiquam frustrabitur expectationem. Cum imprimis in hacce oculi inflammatione eorum usum admodum salubrem experientia jamjam uberrima

comprobaverit. Aeger praeterea lavacrum tepidum semel aut bis omni die ingrediatur. — Externe ab oculo adfecto et luminis et aëris accessus retineatur, et aqua ophthalmica cum Laudano aut Tinctura croci saepius per diem oculus lavetur. Simul sacculorum ope calor siccus bulbo admoveatur. Neutiquam vero calorem aromaticum suaderem, quando oculorum inflammatio, uti in variolis persaepe fit, tale incitamentum ferre nollet. — Denique, si praesertim sub finem exanthematis inflammatio denuo sit suborta, derivantia summam adferunt utilitatem. Vesicatorium ponatur perpetuum ad processum mastoideum, et cortex Mezerei brachio adplicetur, qui, nisi suppurationem efficiat, saltem tamen in cute vesiculas ichorem acrem fundentes elicere solet.

§. 385.

Quorum sub usu, si blepharoblennorrhoea una adfuerit, palpebrarum tumor pedetentim ea imminuitur ratione, ut ipsas diducere, atque bulbi totius ambitum inquirendo adspicere valeamus. Cum primum pustulas pure refertas ejusque superficiem obtegentes adspicere valet medicus, illae acu sic aperiendae erunt, ut in ulcera transeant simplicia, ne, si variolas istas aperire omittas, iis exsiccatis cicatrix insanabilis relinquatur. Aegroti oculus nunc aqua cum multo Laudano parata omni dimidia horae parte lavetur, et semel aut bis per diem, habita simul caloris sicci ratione Laudano puro illinatur, ad perfectam usque ulcerum variolosorum sanationem ipsiusque ophthalmiae extinctionem.

§. 386.

Ophthalmia nunc restat, quae variolas excipit, et tempore aliquo post variolarum exsiccationem atque desquamationem praeterlapso exoritur. Tertio quartove ex variolarum desquamatione incipiente die, interdum et duobus aut tribus hebdomadibus post eam praeterlapsis primam observarunt ejus ophthalmiae originem.

Videtur ex variolarum morbo, cujus specifica in oculos actio

extra omnem dubitationem posita videtur, singularis in bulbo dispositio originem ducere, quae illum ad inflammationem ex causa vel levissima proniorem reddit. Ophthalmia inde suborta maxime quidem ad scrophulosam accedit, cum ex variolis scrophularem morbum persaepe adduci communis docuerit experientia, — attamen differentia quaedam inter utramque locum habet, quae a variolis modo praegressis pendens, nobis utramque ophthalmiam non unam eandemque esse distincte demonstrat.

§. 387.

Cujus differentiae rationem diversa nobis exhibuit methodus ad utrumque morbum sanandum pernecessaria. In ophthalmia scrophulosa praeter ophthalmica medicamina etiam interne remedia ad faciliorem dispositionis scrophulosae extinctionem exhiberi debent. Sola tunc neutiquam sufficiunt in systema lymphaticum incitamenta, uti mercurialia et antimonialia, et usus purgantium repetitus. Opprimunt quidem per aliquod temporis spatium morbosam dispositionem facile tamen cum insigni mali incremento redit. Internus igitur tonicorum, cujusvis generis usus cum balneo et medicamentis in systema lymphaticum agentibus una adhibendus erit, si dispositionem mere scrophulosam medicus sanare decreverit.

§. 388.

Quando autem dispositionem corporis scrophulosam ex variolis modo praegressis sanare velis, remedia ad hoc conducunt, scrophulas solas aut non perfecte sanantia, aut adeo mali augmentum adducentia. Qualia sunt frequens mercurialium usus, interpositis persaepe alvi per purgantia evacuationibus, solers omnis frigoris evitatio, ciborum usus ex vegetabilibus tantum paratorum, et secretiones artis ope per setacea, corticem mezerei aut vesicatoria perpetua excitatae. Quibus dispositio talis a variolarum exanthemate excitata maxima ex parte evertitur. Una simul conducunt frequens balnei calidi et talis tartari emetici

ufus, ut fudoris fecretio augeatur, et interdum etiam levi vomitu virium in fingulis corporis partibus aequilibrium reftituatur. — Interno talium medicamentorum ufu femper opus erit, fi ab ophthalmicis in tali ophthalmia localis mali extinctionem expectare velimus.

§. 389.

Redeamus nunc ad localium medicamentorum ufum, qui cum modo laudatis jungendus erit, fi ophthalmiam poft variolarum defquamationem ortam fanare velis. Qui quidem diverfus erit ex varia morbi localis ratione et forma. Etenim modo Blepharophthalmia glandulofa, modo Pforophthalmia, modo ophthalmia externa, modo etiam Ophthalmoblennorrhoea et Blepharoblennorrhoea apparet.

§. 390.

Si Blepharophthalmiae glandulofae fymptomata adfunt, quae imprimis in rubore atque tumore limbi atque conjunctivae palpebrarum cum exfudatione materiei mucofae aut purulentae plus minusve infigni nituntur, per aliquot dies aqua ophthalmica cum aqua et mucilagine parata exhibeatur, ut ejus ope fecretio in parte laudata per morbum inducta promoveatur, exceffus vero actionum in parte admodum fenfibili imminuatur. Materia fecreta fub ufu ejus medicaminis pedetentim fpiffior redditur, et magis magisque flavefcit. Ut ita antea mucofa nunc magis ad puris naturam accedere videatur.

§. 391.

Quando haec purulentae materiei fecretio incepit, id quod fecundum eft aut potius tertium Blepharophthalmiae glandulofae ftadium, aqua ophthalmica cum Laudano remota aegro exhibeatur medicamentum adftringens, uti folutio lapidis divini, aqua ophthalmica cum alumine aut vitriolo albo parata. Verum adftringentis principii pauca tantum copia iis ineffe debet, quae

deinde demum magis magisque augeatur, morbo pedetentim ad finem properante. — Praeterea ſub initio uſus adſtringentium major hisce aquis ophthalmicis Laudani copia addatur, quam dein oculi ſenſibilitate magis magisque imminuta pro lubitu medici imminuere valemus. Denique etiam in tali lymphae purulentae excretione, praeſertim, ſi non palpebrae tantum adfectae, verum etiam bulbus non plane a morbi conſenſu immunis reperitur, — medicus cane pejus et angue ſaturninorum vitet uſum, et ſi vel ob medicaminis compoſitionem addenda ſint, uti interdum in lapidis divini ſolutione videmus, pauxillum tantummodo admiſceatur. Etenim ſaturnina, — uti jam ſupra admonuimus, — lymphae ipſius ſtagnationem et inde pellucidarum oculi partium obſcurationem efficiunt. In omni igitur ſeniore ophthalmiarum ſtadio nocent.

§. 392.

Quando ſub finem morbi rubor remanet palpebrae internae cum ardoris ſenſu et chronico totius inflammationis habitu, remediis modo laudatis plus minusve reluctante, pro vario ſenſibilitatis ſtatu in hominis oculo ſacculi cum herbis aromaticis aut etiam pauxillo Camphorae parati hasce feliciter debellabunt blepharophthalmiae reliquias.

§. 393.

Quando ad ſecretionem abnormem in palpebris cum ſtatu ipſarum inflammatorio junctam ulcuſcula accedunt internam palpebrarum ſuperficiem obtegentia, morbus exoritur, quem Pſorophthalmiam vocarunt, quae vero, ſi non a Pſora ipſa pendeat, etiam nomine minus recto deſcripta melius Blepharophthalmia ulceroſa vocaretur. Cognoſcitur malum ex pruritu atque dolore illum blepharophthalmiae glanduloſae ſimplicis longe ſuperante, ex ulceribus oculo paullulum attento et materia a ſuperficie palpebrarum interna deterſa facillime diſcernendis, cum loco glandularum turgentium caveae adſint materiam fundentes ſingula-

rem et ab illa puris mitioris longe diverſam, et ex ciliorum ſub mali incrementum defluxione magis minusve inſigni. Caetera videas, quae in capite ſingulari de Pſorophthalmia ulterius propoſuimus.

§. 394.

Tali blepharophthalmia ulceroſa ad variolas praegreſſas accedente praeter interna remedia jam ſupra laudata aegrotis exhibeatur aqua ophthalmica Conradina cum Mercurio ſublimato et Laudano parata, cujus ope ter quaterve per diem aut etiam ſaepius oculi abluantur. Veſperi unguentum citrinum Edinburgenſe cum pauxillo opii mixtum piſi minoris magnitudine palpebris illinatur. Remediis hiſce per aliquod temporis ſpatium exhibitis aquae Conradinae ſubſtituatur ſolutio lapidis divini aut aqua aluminata vel vitriolata. Ulcera hac ratione magis magisque ad ſanationem perducuntur, — donec tandem omnis materiei purulentae ſecretio deſierit. Quo facto et unguenti laudati uſus omittatur, reliquiis morbi mox penitus extinctis.

§. 395.

Si ophthalmia externa variolas ſequitur deſquamatas ſemper fere, uti jam ſupra adnotavimus, ophthalmiae ſcrophuloſae exhibet ſymptomata, ruborem oculi diffuſum, in phlyctaenulas et puſtulas vergentem, quae in corneae ſuperficie minores, in ſcleroticae ambitu majores ulceribus originem exhibere ſolent aut ichoroſis aut purulentis ex varia hominis aegrotantis ratione. Localia igitur remedia omnia ſunto, uti in ophthalmia ſcrophuloſa leges artis praeſcribunt.

§. 396.

Phlyctaenulae praeſentes uſum aquae ophthalmicae cum ſublimato et pauxillo Laudani paratae requirunt. Quibus apertis et in ulcera transmutatis adſtringentia cum Laudano adhibeantur, ut ulcerum ſanatio optima quaque ratione promoveatur. Puris quantitate jam extra ulcera in vicinas corneae lami-

nas dissipata et obscuratione ipsius inde imminente semel in die Laudanum purum penicillo illinatur, cujus ope et puris absorptio et ulceris sanatio egregie procedet. Statu denique isto oculi praesente, qui reditum ophthalmiae scrophulosae facillime admittit, et cujus in capite de ophthalmia scrophulosa uberior mentio fuit injecta, unguenti cum pauca mercurii praecipitati rubri copia et opio parati usus egregie conducet, ut haec oculi ad inflammationes dispositio feliciter extinguatur. Vitet tamen medicus tali in casu unguenti laudati usum, si ulcera oculi adhuc praesentia conspiciuntur, et nondum ad sanationem perfectam adducta fuerunt. Iis demum sanatis et inflammatione oculi residua externus mercurii rubri cum opio in unguento juncti usus omnem medici explebit expectationem.

§. 397.

Transeamus nunc ad ophthalmoblennorrhoeam variolis praegressis originem ducentem. Quae quidem inter ophthalmoblennorrhoeas cum virium totius corporis jactura junctas gravissima non raro aegroti oculum penitus destruens corneae perspicuitate eversa staphyloma relinquit. Etenim inflammatio tangit oculum pristino morbo jam debilitatum atque morbose incitamentis ipsi propositis renitentem, — cornea a variolarum contagio singulari modo quasi tacta et ad inflammationem cum suppuratione prona est facta, et secretio abnormis materiei purulentae et in externa oculi superficie, et si internae partes una sint adfectae, in cameris bulbi locum habens, multo majori cum vehementia et periculo incedit — cum dispositio organismi a variolis relicta ad tales maximopere prona sit corporis excretiones, et sic ophthalmoblennorrhoea talis eundem fere periculi gradum admittat, qualem in ophthalmoblennorrhoea ex podagra suppressa clari observarunt in arte viri.

§. 398.

In cura mali tam gravis, quod plerumque ex blepharoblennorrhoea in hominibus debilioribus et a summo scrophularum

malo adfectis fuboritur, celeriter medicus, quae neceffaria videntur, peragat, fi oculum aegroti fervare velit. Cura interna fit, quam fupra defcripfimus, imprimis fi ftatim cum variolarum exitu originem obfervamus ophthalmoblennorrhoeae. Quando autem longo demum temporis fpatio ex variolis defquamatis originem cernimus mali, et magis natura morbi mere fcrophulofa videtur, cum antifcrophulofis internis una jungantur tonica cum volatilibus incitamentis mixta. Aeger v. g. capiat ter quaterve in dies infufum corticis peruviani frigide paratum cum liquore anodyno et pauxillo laudani. Praefertim vero fecretione abnormi in alia parte minus generofa cito et fat larga copia fuscitata opus erit, fi in locali inflammationis cura felici agere velis fucceffu. Sinapismi et fetacea, vel cortex mezerei brachiis applicentur, et in ipforum loco fuppuratio diu retineatur, — habita tamen ratione fenfibilitatis in aegroto confpicuae, cum infantes aut raro aut nunquam talem ferant irritamentorum localium apparatum. In iis calidum corporis regimen, cum cauto tartari emetici ad levem vomituritionem ufu, et largior mercurii copia ad alvi evacuationem usque porrecta eorum loco erunt fubftituendae.

§. 399.

Quae denique localia tangunt bulbum remedia ea funto, quae et in genuina ophthalmoblennorrhoea aegris fanitatem reftituere valent. Aqua fimplice ophthalmica cum Laudano parata faepius per diem bulbus eluatur, femel in die Laudanum purum illinatur, et facculi herbis aromaticis et pauxillo Camphorae referti, aut eorum loco linteola camphorae particulis trituratione impleta ipfi bulbo imponantur. Talis localis oculum curandi ratio cum internis medicaminibus juncta fi aegris eo modo opem tulerit, ut fecretio materiei purulentae cum tumore in conjunctiva fit imminuta aut plane evanuerit, ad tonica tranfeat medicus. Interna vero medendi ratio una eademque maneat usque ad perfectam mali amotionem. Solutio lapidis

divini dilutior cum pauxillo aceti lythargyrii et multo Laudano parata oculis ſic ad ſanitatem revertentibus adplicetur, et ſacculi diſcutientes modo laudati cum herbis minus aromaticis repleantur, ut magis calor ſiccus quam aromaticus oculos tangere valeat. Quibus ad perfectam usque oculi ſanationem erit continuandum.

§. 400.

Quae hactenus diximus, ſpectabant ſanationem ophthalmiae jam ſubortae. Verum, ſi variolis jam amotis ejusmodi oculi inflammationis ſecundariae originem vitare velis, in aegroto variae obſervandae erunt regulae, quibus morbi incitamenta ab oculo avertuntur debilitato. Luminis aërisque liber acceſſus ab oculo quavis ratione retineatur, et pedetentim tantum aegrotus iis adſueſcat. Cutis ejus calida ſervetur et refrigeria cane pejus et angue fugiantur. Balneum ter quaterve in ſeptimana ingrediatur. Alvus omni die aperta ſervetur, et vel clysmate erit promovenda. Aeger praeterea ſaepius leviore medicamento laxante, aut mercurio dulci utatur. In cibis vitet omnia graviter digerenda, vitet per aliquod temporis ſpatium carnes, vegetabilia tantum iis ſubſtituat, et poſt aliquot demum ſeptimanas ad priſtinam redeat victus rationem. — Quae ſi recte fuiſſent obſervata, certe noſtra aetate non tanta obcoecatorum aut deturpatis oculis incedentium copia incederet, qui ejus temporis, quo variolarum adhuc graſſabantur epidemiae, triſtes ad mortem usque reliquiae remanebunt.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

De ophthalmia ſcarlatinoſa et morbilloſa.

§. 401.

Quando hominem ſcarlatina aut morbillis adfectum oculo-

rum corripit inflammatio, quae et comes et effectus ejus morbi febrilis reperitur, symptomata singularia exhibet, et cum ultimo exanthematis stadio una evanescit, — sub ophthalmiae scarlatinosae aut morbillosae nomine ipsam jure meritoque comprehendimus.

§. 402.

Conjunctio membranarum oculi externarum cum toto cutis systemate, quae saepius hujus morbos et in oculi superficiem traducit; —, etiam huic ophthalmiarum ordini occasionem dedisse videtur. Quapropter etiam morbi sedes in externis modo reperitur membranis bulbum obtegentibus, et exinde demum, quod raro fieri solet, in aegris debilioribus et oculo admodum irritabili praeditis aut incitamentis nocivis in oculos eodem tempore agentibus ad internas transit inflammati oculi partes, atque iritidis exhibet formam.

§. 403.

In utroque morbo tempus minus certum reperitur, quo primam videmus ophthalmiae laudatae originem. Modo antecedit exanthema, modo morbum jam erumpentem comitatur, modo etiam in ultimo ejus stadio aut finito jam morbo apparet. Cum vero uterque morbus febrilis, uti variolae, dispositionem quandam, licet leviorem, ad scrophulas relinquat, sera ophthalmiae in iis praesentia semper fere in debilioribus aut aperto morbo scrophularum adfectis apparet, et scrophulari ophthalmiae magis minusve similis reperitur.

§. 404.

Utriusque ophthalmiae decursus in primo praesertim stadio nullam exhibet differentiam, qua ipsam inter se discernere valeas. Rubor adest pallidus et diffusus bulbi, primo tantum conjunctivam occupans, dein vero etiam in sclerotica haerens. Dolor pungens in oculi superficie adest. Photophobia et lacryma-

rum profluvium fat magno adſunt gradu, et cornea iis irrigata in uno alterove loco majorem prae ſe ferre videtur ſplendorem. Conjunctivae bulbi adfectio una per canaliculos lacrymales in ſaccum lacrymalem et in cavum narium tranſire videtur. Hinc crebrae ſternutationes et materiae ſeroſae ex naribus excretio vel majori vel minori copia obſervantur.

§. 405.

In ſecundo hujus ophthalmiae ſtadio per ſecretionem in interna ejus ſuperficie excitatam inflammationis phaenomena magis magisque decreſcunt. In initio ejus rubor oculi quidem magis intenditur, photophobia tamen imminuitur, et mucus effluentibus lacrymis ita admixtus videtur, ut copia ejus magis magisque augeatur. Secretio meibomianarum glandularum augeri incipit, ſub ſenſibilitate limbi palpebrarum magis minusve aucta. Phlyctaenulae exſurgunt in corneae ſuperficie, uti in ophthalmia ſcrophuloſa, quibus ruptis et ſero ipſorum acriori emiſſo ulcuſcula remanent, quae corneae ſuperficiem nebuloſam reddunt.

§. 406.

Haec omnia adſunt in ophthalmia morbilloſa. Attamen in ſecundo ſtadio ophthalmiae ſcarlatinoſae phaenomena adſunt, quae multo majorem bulbi per inflammationem affectionem produnt. Quae, etſi ex majore febris concomitantis vehementia, et ex ſumma ejus actione in caput et in cerebri organa, quibuscum oculi arctiſſime juncti reperiuntur, pendere videntur, — tamen ex parte augentur per incitamenta et per diaphoreticam medendi methodum, quibus hactenus plurimi medicorum ſcarlatinoſas tractarunt febres, et ex quibus plurimorum aegrotorum hocce morbo laborantium mors inopinata pendere videtur.

§. 407.

Phaenomena, quae ſecundum ophthalmiae ſcarlatinoſae ſtadium comitantur, praeter ea, quae jam in ophthalmia morbilloſa

enumeravimus, ſunt photophobia adhuc in oculo praeſens, acrius lacrymarum profluvium, annulus caerulei coloris corneae marginem circumdans, — qui ſine dubio ex ſanguinis congeſtionibus ad corpus ciliare factis, quibus vaſa ejus extenduntur, originem ducit, — et major ulcerum corneae adhaerentium copia, quibus interdum et bulbi corripitur conjunctiva. Interdum et ſanguinis congeſtionibus ad corpus ciliare gravioribus ipſa exoritur iritis, cum omnibus ſignis, et miſeris ejusdem morbi gravioris ſequelis.

§. 408.

Prognoſis in utroque morbo eſt laeta, niſi iritis aut ulcera corneae acceſſerint. Ulcera corneae recte tractata etiam prognoſin ſat fauſtam admittunt. Iritide autem praeſente dubiam exhibeat medicus, cum gradus ejusdem morbi adſint, omnem medici reſpuentes opem, et cum iritis vel optime tractata et ſanata diſpoſitionem quandam in oculo relinquat, iteratas oculi inflammationes, praeſertim internas admittentem.

§. 409.

Quod curam attinet morbi primo in ſtadio utriusque ophthalmiae actionum tantummodo exceſſus imminuantur. Luminis igitur et aëris incitamenta multo minori copia oculum tangant, et aegrotus oculis per peplum nigrum (*durch einen ſchwarzen Flor*) clauſis in cubiculo aëris frigidioris impetui non expoſito retineatur. — Aqua ophthalmica ſimplex cum aqua roſarum et mucilagine parata, ſi aeger ſenſibilitate majore praeditus de dolorum queritur vehementia, exhiberi poterit, et ſaepius per diem oculi ipſa laventur.

§. 410.

Secundo autem morbi ſtadio ingruente et ulceribus in cornea praeſentibus ſolutio lapidis divini cum Laudano parata conſueto more adhibeatur. Luminis et aëris acceſſio non amplius tanta cura ab oculo adfecto retineatur, ita tamen, ut acceſſio utriusque

pedetentim tantum locum habeat, habita ſenſibilitatis in oculo ratione. Calor ſiccus, aut ſi bulbus ferat, etiam aromaticus ſacculorum ope oculo adplicetur, — ad perfectam ulcerum ſanationem et ruboris in oculo extinctionem. — Phlyctaenulae in cornea, ſi nondum ruptae fuerint, ſolutionem poſtulant Sublimati. Verum paucisſimis in aegris neceſſaria erit, cum phlyctaenulae iſtae aqua ichoroſa refertae celeriter rumpantur, et in ulcera tranſire ſoleant, ſola lapidis divini ſolutione ad ſanationem perducenda.

§. 411.

Quando autem in ſcarlatinoſis iritis accedit, cura maxime ſollicita ſit medici. Praeter ſolutionem lapidis divini, praeſentibus ulceribus ſtrenue adhibendam, ſacculosque herbis aromaticis refertos ſolutio extracti Hyosciami adhibeatur, omni trihorio oculis adfectis adplicanda. Aegris minus ſenſibilibus ſinapismi brachiis aut nuchae, donec rubeat cutis imponantur, et pediluvia cum interno mercurii uſu locum habeant. Caetera hoc loco ſcitu neceſſaria in capite videas de Iritide. Diſpoſitioni ſcrophuloſae, ſi ſub finem febris exanthematicae ſe manifeſtaverit, conſueto more medicus occurrat.

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

De Pſorophthalmia.

§. 412.

De morbo nobis dicendum erit, cujus nomen non inepte quidem excogitatum, tam variis tamen inditum eſt morborum ſpeciebus, ut de plurimis ipſorum plane alia notio ſit propo-

nenda, quam nomen audienti indicare ſolet. Antequam igitur ad ſpecies morbi ita dicti uberius adumbrandas tranſierimus, ſingula genera a nobis enumeranda erunt, quibus hactenus Pſorophthalmiae nomen fuit impoſitum, et ex quibus tam falſo inter ſe commixtis non parva ad aptam curandorum ejusmodi morborum rationem redundavit noxa, quae ſtrictiore tantum cujuslibet morbi ſeparatione poterit evitari.

§. 413.

Uti nomen docet Pſorophthalmia proprie deſignat oculi inflammationem ex pſora corpus occupante ortam. Cum vero medici in doctrina de oculi inflammationibus minus verſati obſervaſſent, ſymptomata hujus ophthalmiae pſoricae praeſertim in exulceratione limbi et ſuperficiei palpebrarum internae cum immani pruritu conjunctae poſita eſſe, hinc omnibus ophthalmiis cum palpebrarum exulceratione et pruritu vehementi junctis pſorophthalmiae nomen tribuerunt, licet a contagione pſorica non duxiſſent originem.

Quamvis igitur recentiores originem et naturam morborum bene intellexerint, qui ſub tali nomine comprehendebantur, nominis tamen ratione minus habita Pſorophthalmiam vocarunt omnem palpebrarum limbi exulcerationem ex praegreſſa blepharophthalmia ſubortam et cum pruriente dolore et cruſtis ulcera obtegentibus conjunctam atque ſat diu continuatam. Liceat igitur nobis ſingulas hujus morbi ſic dicti formas exponere.

§. 414.

Symptomata modo allata primo apparent in palpebrarum et oculi inflammatione, cujus cauſa in pſora aut praegreſſa aut praeſente aut ſaltem in infectione locali ex pſorica contagione orta eſt poſita. Quae *Pſorophthalmiae* nomine vere digna etiam ſola hoc ipſo inſigniri deberet. — Signa ejus morbi porro apparent in omni blepharophthalmia neglecta, et ob diuturnam morbi continuationem jam quaſi habituali, id quod imprimis ex

neglecta cutis munditie, variisque aliis caufis paullo poft uberius exponendis pendere videtur. Notio morbi magis diftincta exprimeretur, fi hanc pforophthalmiae fpeciem fub *blepharophthalmiae ulcerofae* nomine comprehenderemus. — Tertia pforophthalmiae fic dictae fpecies occurrit in infantibus fcrophulofis atque variis impetiginibus, quae illum morbum fequuntur, adfectis. Cum ejusmodi locales infantum morbi propter humores nimis multos ad caput adfluentes faepiffime etiam in externa capitis adpareant fuperficie, ibique fub Cruftae lacteae, Tineae et Favi nomine comprehendantur, facillime etiam tales impetigines ad membranas oculi externas extenduntur, et ibi ftatum Pforophthalmiae perfimilem efficiunt. Qualem quidem *Blepharophthalmiam infantum impetiginofam* vocare mallem. — Denique etiam Herpes, quando ad oculos extenditur, ftatum palpebrarum efficit exulceratum. Quod ultimum genus *Blepharophthalmiae impetiginofae proprie fic dictae* nomen meretur.

§. 415.

Pforophthalmia proprie fic dicta modo ex oculo tantum contagione infecto, modo ex ipfo morbo univerfali, quem comitatur, modo ex morbo minus recte oppreffo originem ducit.

Symptomata mali haecce apparent. In primo morbi ftadio vehemens ac fere intolerabilis ad margines palpebrarum pruritus exoritur, cum impari et admodum fenfibili ipfarum obfcuro rubore infectarum tumore. Solos imprimis obtinet margines, plane non ad externam, fed ad internam palpebrarum cutim, feu ad conjunctivam magis extenditur, non tanto autem gradu, ut conjunctivae tumore ectropium efficiatur.

§. 416.

Secundum Pforophthalmiae ftadium incipit cum ipfa puftularum minutarum fed magna copia et in palpebra praefertim fuperiore prorumpentium eruptione. Quarum ratio diverfa eft ex fedis ipfarum differentia.

In ſuperficie marginis interna, ſeu in conjunctiva lympha ex puſtulis ruptis cum muco et lacrymis mixta phaenomena blepharoblennorrhoeae prodit. In ſuperficie autem marginis externa puſtulae veſiculas exhibent parvas et flaveſcentes, quibus ruptis lympha effunditur, cum lacrymis prorumpentibus ſeſe miſcens et acritate ſua inflammationem eryſipelatoſam in externa genarum cute excitans. Iis ruptis tumor augetur, rubicundus color palleſcit, et in margine palpebrarum ex oxydatione per aëris acceſſum facta cruſtae flaveſcentes fuſco colore admixto oriuntur, ulcera ex ruptis veſiculis facta obtegentes.

§. 417.

Malum ſi per totam eamque internam extenditur palpebrarum ſuperficiem ficus recens diſſectae ſpeciem prae ſe fert, et tunc a veteribus ſub nomine palpebrae ficoſae ſeu ſycoſeos deſcriptum eſt malum.

Ulcera iſta ſatis profunde ſerpentia ad tarſum usque extenduntur, et ſuperficie ejus corroſa corrugationem ejus talem efficiunt, ut entropium et trichiaſis inſanabilis inde oriantur.

Veſiculae iſtae pſoricae interdum ad bulbum ipſum extenduntur, et tunc, niſi apta medendi methodus exhibeatur, ulcera exinde orta corrodunt corneam, cum conſueta ratione nequeant ſanari, et ſic corneae perſpicuitate deſtructa aegrotus viſu deſtituitur.

§. 418.

Tandem adeo propter incautam curationis rationem ancyloblepharon partiale oriri poteſt. Etenim membrana mucoſa, quae ſedes morbi eſt, facultatem ſuam, — qua in inflammationibus per excretionem in ipſius ſuperficie ſubortam impedire ſolet, quo minus cum vicina membrana concreſcat, — eo modo amittit, ut excretione penitus fere ſublata, plaſtica vis membranam obtinere incipiat, eaque cum vicinis partibus concreſcat. Ancyloblepharon tunc ſuboritur, ſi limbus utriusque palpebrae ex parte

vel totus concrescit, aut etiam conjunctiva palpebrae cum illa bulbi ejusmodi abnormem fibris exsudatis incipit conjunctionem. Quod imprimis timendum erit, si crustis et muco induratis, quibus per noctem utraque palpebra jungebatur, — et incauta manu diductis, cutis ipsa palpebrarum laedatur. Unde inflammatio ipsius nova sequetur, omnem cutis naturam sic immutans, ut mucosa ejus secretione magis minusve abolita ipsius superficiem ad abnormem pronior reddatur concretionem.

§. 419.

Antequam hujus morbi curationem exponamus, quaedam dicenda erunt de caussis Psorophthalmiae effectricibus quarum jam supra mentio fuit injecta. Oritur modo a contagione oculum adficiente. Quae caussa imprimis in homines impuros sordidosque cadit, qui cum scabiosis degentes et ipsorum contagium vario modo suscipientes, digitos materia contagiosa plenos ad oculos adhibere solent extergendos. — Sive psorophthalmia tanquam morbi universalis comes conspicitur. Talem imprimis in hominibus psoricis locum habere conjicimus, qui ulla alia de caussa oculi inflammatione corripiuntur, mox ob morbi universalis praesentiam psorophthalmiae signa prodente. Saepius etiam in hominibus scabie adfectis haec prima adesse potest caussa, quando digitorum scabie adfectorum attritu aut ulla alia ratione contagium in oculos hactenus a morbo liberos traducitur, et ita psorophthalmiae symptomata impetigini universali adjunguntur.

§. 420.

Tertia denique morbi caussa nititur in oppressione psorae minus tempestiva. In hominibus ad oculi inflammationes pronis nunc oritur in oculo actio vicarians seu metastasis sub ophthalmiae forma, psorophthalmiae persimili. Talem vidi in infantibus pauperum hominum, quando parentes eos in scholas atque orphanotrophea traducere studuerant. Cum vero psora adfecti neutiquam admitterentur morbus in iis quavis ratione ipsis obvia

nimis celeriter opprimebatur. Verum felici tantum fato ducti ejusmodi aegri simplici tantum corripiuntur psorophthalmia, cum in sexcentis aliis ex psora inepte suppressa glaucoma aut amaurosis sub multo dolorum cruciatu in aegrorum male curatorum oculis ducat originem.

§. 421.

Quod prognosin attinet, ea diversa erit ex varia morbi ratione, tempore et cura. Melior erit bulbo nondum adfecto aut saltem ulceribus psoricis in cornea non profundis vel amplum spatium occupantibus vel pupillae e regione sitis. Contraria etiam contrariam exigunt prognosin. Prognosis magis erit fausta, si morbus in palpebris haerens, nondum ipsorum tarsum sic affecit, ut corrugatio ipsius insanabilis cum reliquis symptomatibus morbosis eam comitantibus sit suborta. Spes major sanationis affulget, si morbus aegros vexat non sordidos aut immundos, et quorum vitae ratio cutis culturam admittit salubriorem. Denique etiam majore morbum oppugnabis successu, si non per longius duravit temporis spatium, et quasi vetustate jam fuit confirmatus, et si alii desunt in oculo morbi.

§. 422.

Quod curam morbi attinet psorophthalmiae per infectionem localem sine psora universali corpus tenente, ea duplici nititur indicatione, quae et oculi inflammationem, et curam corporis prophylacticam spectat, ne etiam corripiatur morbo. Ante omnia igitur bis quotidie unguentum citrinum Edinburgense pisi minoris magnitudine penicilli ope palpebris admoveatur, deinde vesperi, antequam aegrotus cubitum abierit, oleo quodam pingui palpebrae illinantur, ne concretio ipsarum per mucum atque crustas noctis fiat tempore. Si vel hoc factum fuerit, mane sequente non diducantur palpebrae inter se cohaerentes, sed lacte aut aqua tepida tam diu foveantur, donec ipsae palpebrae propria vi bulbis oculi concedant adspectum.

§. 423.

Quibus per aliquod temporis ſpatium peractis pruritu atque dolore bulbi imminuto, ſecretione muci minore, et ulceribus ad ipſam ſanationem aptioribus redditis, — ſemel tantum in dies horisque matutinis unguentum citrinum illinatur, veſperi vero et pomeridianis horis ipſi ſubſtituatur hocce unguentum: ℞. Lapid. divin. Tutiae ppᵗᵃᵉ āā gr. viij, Camphor. gr. jv. Butyr. recent. inſulſ. ℥ß. M. exactiſſim. — Olei ſimplicis uſus penitus omittatur. Sanatione ulterius procedente etiam unguentum citrinum non amplius erit adhibendum, altero unguento ejus loco utilitatem praeſtante, quod vero etiam cum ſolutione lapidis divini poterit commutari.

§. 424.

Sub cujus uſu ad perfectam usque mali extinctionem erit pergendum. Tyloſi palpebrarum ex ipſo reſidua unguentum mercuriale rubrum conſueta adhibeatur ratione, ſicut etiam omnis alius morbus ſecundarius ſua quisque ratione artis opem requirit.

Quod attinet remedia tali in caſu ad univerſi corporis ſalutem prophylactice adhibenda, — ea praeſertim poſita ſint in balneo, quovis die et per longius temporis ſpatium adhibendo, in ſumma totius corporis munditie cum frequenti induſiorum mutatione conjuncta, in ſumma ab omni refrigerio cautione, in victu bene nutriente et leviter etiam digerendo, et alvi ſecretione nulla ratione ſuppreſſa. Quae ſatis erunt, ad omnem infectionis timorem feliciter amovendum. Si vero tamen ſuborta fuerit pſora, artis lege erit ſananda.

§. 425.

Pſorophthalmia ſi adeſt cum univerſali ſcabie, localis cura una eodemque erit, quae praecedentibus propoſita fuit paragraphis. Quod curam attinet morbi univerſalis ea talis erit. Capiat aeger ter aut quater in dies pulverem ex floribus ſulphuris paratum, et deinde unguento cum ſulphure mixto bis quotidie cu-

tem illinat. Balneum ſaepius ingrediatur, et ſummam ſervet cutis munditiem. Balneo per aliquod temporis ſpatium jam adhibito nec immutata morbi vehementia aegrotus loco unguenti cum ſulphure parati unguento utatur Werlhofiano, cujus quantitatem nucis avellanae majoris magnitudine bis per diem cutis parti maxime adſectae inungat. Quae mox ſub aucto impetiginis pruritu ejus extinctionem accelerabunt. Sub finem morbi aliquoties exhibeantur alvum purgantia, quae ſicuti balnei uſus, per aliquod temporis ſpatium aegro jam ſanato adhibendus aegri perfectam accelerabunt ſanationem.

§. 426.

Quaedam adjicienda ſunt de morbi phaenomeno ſat periculoſo, ſi nempe puſtulae pſoricae corneam obtegentes ejus ſuperficiem incipiunt exulcerare. Phaenomenon, quod fato felici eſt rariſſimum, tamen, ſi adeſt, ſumma adfert viſui pericula. Etenim ulcera iſta eorum loco in cornea ſuborta hancce corrodentes omnia efficiunt ſymptomata, quae ex corneae per ulcera deſtructione magis minusve inſigni oriuntur. Et haecce ulcera pſorica, uti experientia ducti vidimus, multo majora medico opponunt impedimenta, cum omnibus medicamentis, ex artis lege contra ulcera corneae vulgaria adhibendis, reſiſtant.

§. 427.

Methodus unica, in tali caſu triſtiori ſalutem ſpondens, haec eſt. Homo remediis morbo univerſali oppoſitis multo majore aſſiduitate utatur, ut eo celerius iſtud temporis momentum accedat, quo vi propria morbi extincta ad finem vergunt ejus phaenomena. Simul omnia remedia ophthalmica negligat, excepto unguento citrino Edinb., quod bis aut ter indies oculis illinatur. Quando medicus viderit ſanationem ulcerum in oculo et pſorae ſimul in toto corpore extinctionem feliciter procedere, curationis periculum faciat cum ſolutione lapidis divini multo laudano impraegnata, laudanum purum, ſi ſtatus oculi poſtulat, ſemel

Dd

quotidie applicet, atque hisce ex voto procedentibus certiora demum atque laetiora de prognosi adnunciet.

§. 428.

Quando denique scabiosa oculi inflammatio ex psora minus opportuno tempore suppressa originem ducit, sanatio neutiquam procedet, nisi pristinum malum fuerit rite revocatum, aut saltem cutis status, utut fieri potuerit ad meliorem restitutus sanitatem. Localis oculi cura, saltem sub initio mali, talis sit, qualem paullo ante in psora ipsa proposuimus. Insitio psorae, si fieri poterit, ab alio psorico citius locum habeat, et contagium per vestimenta et per somnum in uno eodemque lecto saepius capiendum in aegrotum de novo transferatur. Saepius simul balneo utatur, pulverem ex sulphure cum Camphora paratum capiat, cutemque unguento illinat sulphureo. Quibus factis, mox ophthalmia sub pristini morbi recta cura imminuetur. Tunc temporis demum, si morbus una rite processerit, adstringentibus locus dabitur, quae alias minus opportune exhibita oculorum destruerent fabricam. Hisce, nisi alia latuerit causa, mox perfecta hominis sanatio maturabitur.

§. 429.

Ad alteram nos nunc convertimus morbi formam, hactenus sub psorophthalmiae nomine comprehensam, quae vero, uti jam supra adnotavimus, nomine blepharophthalmiae ulcerosae dignior videtur. Oritur ex quavis blepharophthalmia genuina, quae vero neglecta, aut potius universali corporis labi adjuncta vetustate tantopere est confirmata atque habitualis facta, ut saepius summum ad sanationem restituendam artis auxilium requirat.

§. 430.

Sicuti cutis adfectio in toto corpore per varios etiam sese prodit oculorum morbos, qui praesertim in externis eorum membranis haerentes tantummodo cum cutis universalis malo una

ſanantur, — ita etiam hoc in blepharophthalmia ulceroſa locum habet, quae ex ſingulari cutis morbo laborantis ſtatu pendet, de cujus vero natura certiora nondum adferre licet. Si ex corporis totius refrigerio ſubortam videmus ophthalmiam catarrhalem aut rheumaticam propter cauſam ejus effectricem certiora de morbi univerſalis natura atque curatione adferre licet. Quamquam vero de cutis ſtatu, blepharophthalmiam ulceroſam comitante certiora proferuntur, tamen neutiquam de ratione cauſaque ejus mali certa quaedam adferri poſſunt, quae ambo nos latent.

§. 431.

Videmus blepharophthalmiam ulceroſam in hominibus, qui et primario malo et per conſenſum ex abdominis labe cute laborant. Non ſolum corporis munditiem negligunt, rarius illud aqua lavantes et induſia mutantes, ſed etiam cibis utuntur ſingulares in cutem effectus edentibus, uti carne ſuilla, allio, cepis, multisque aliis, quorum noxios in cutem effectus mox uberior nobis demonſtrabit experientia, — vino aduſto ſaepius recreant corpus, et ſaepius corporis totius ſudorem perpeſſi recentia corpori integumenta neutiquam imponunt. Singularis praeterea in iis adeſt cutis glandularum atonia, quae multo muco ſebove refertae diſtinctius cognoſcuntur, et diatheſin corporis produnt ad ſcrophularem maxime accedentem. Inde conjiciendum erit, etiam glandulas conjunctivae palpebrarum ſimili ratione adfectas eſſe, et ſic morbum poſſe lubentius excipere.

§. 432.

In ejusmodi hominibus, ſi morbus fuit ſubortus oculi inflammatorius, v. g. ophthalmia catarrhalis ſive rheumatica, ſedem praecipue figere ſolet in glandulis oculi, ideoque blepharophthalmiae glanduloſae obſervamus originem. Quae vero magis diuturna fit ex ſingulari iſto cutis ejusque glandularum ſtatu, eoque modo ſecretio abnormis tandem ſub mali incremento in exulcerationem glandularum et cutis ipſas obtegentis abire ſolet,

quae ſi minus recte tractata aut neglecta fuerit, per longius durat temporis ſpatium, atque ſic morbos producit ſecundarios, qui blepharophthalmiam graviorem excipere ſolent. Qualis eſt tarſi corrugatio cum entropio et trichiaſi juncta aut exulceratis palpebrarum angulis ectropium perfectum et inſanabile, de quo malo in blepharophthalmiae idiopathicae deſcriptione mentio jam fuit injecta.

§. 433.

Decurſus Blepharophthalmiae ulceroſae fere idem eſt cum Pſorophthalmia, ſi ſymptomata quaedam exceperis. Etenim puſtulae in pſorophthalmiae initio in limbo palpebrarum prorumpentes, ex quibus deinde ulcera originem ducunt ſcabioſa, in blepharophthalmia deſunt ulceroſa. Glandulas quidem obſervamus in ipſius initio turgidas et puſtulis laudatis perſimiles. Attamen glandulae iſtae neutiquam rumpuntur, mucum modo fundunt purulentum et ſucceſſu temporis demum in ipſis ulcera oriuntur, quae ipſarum ſuperficiem et corpus cum cute ſuper inducta exedunt. Conjiciendum erit, ſedem primae exulcerationis canaliculos eſſe glandularum excretorios, qui pedetentim in ipſa ulcera transmutantur.

§. 434.

Praeterea, ſi morbi actio in ipſam extenditur corneae conjunctivam, non tanta adferre ſolet pericula, quanta in puſtulis pſoricis corneam occupantibus obſervare ſolemus. Etenim conjunctiva bulbi leviter modo rubet ſub ipſo mali incremento, et muci ſeparare incipit copiam, cum tumoris ejus augmento magis minusve inſigni, quod mox leviora exhibet ophthalmoblennorrhoeae ſymptomata. Ulceribus corneae tali modo ſubortis ſimplici medemur medicamentorum apparatu, nec, ſi cura recte fuerit inſtituta, corneae deſtructio erit timenda.

§. 435.

Prognoſis tali in caſu ex morbi praeſertim continuatione at-

que progreſſu erit derivanda. Pejor eſt prognoſis, ſi inflammatio ulcerum jam ad tarſum fuerit extenſa et corrugationem ejus effecerit. Pejor prognoſis, ſi alia jam partium organicarum deſtructio ab illo morbo fuit adlata. Meliora adnuntiare licet, quando omnia haec deſunt atque morbus non admodum diuturnus aut habitualis fuerit. Etenim ſanatio recentioris mali melius procedit, et neutiquam ex ejus mali ſuppreſſione celeriori damni quidquam erit timendum. At ex nimis cita blepharophthalmiae jam diu continuatae oppreſſione glaucomatis originem clari in arte viri obſervarunt.

§. 436.

Quod curam blepharophthalmiae attinet ulceroſae, duplici ea nititur indicatione, cum et localis et univerſalis eſſe debeat. Univerſalis medendi methodus poſita ſit in ſtrenua cutis cura, quae partim in victu caute eligendo, partim in balneis et induſiorum mutatione eſt poſita. Cibis utatur facile digerendis et bene nutrientibus, abſtineat initio ab uſu carnis aſſatae, abſtineat penitus a carne ſuilla, a leguminibus non ſine difficultate digerendis, ab allio et cepis, et a potu vini aduſti. Si ipſi jam adſuetus fuerit, pedetentim ab illo removeatur, ſubſtituto in ejus locum, ſi fieri poterit, vino rubri coloris leviore. Balneis ſub initio ſaponis aliquantulum addatur, deinde vero morbo ad finem properante decocta ex adſtringentibus parata admiſcenda erunt.

§. 437.

Hactenus de cura univerſali. Localis ipſi adjungenda erit, oculum ſi recte ſanare velis. In vehementiſſimo mali gradu ulcera ſi magna copia palpebrarum limbum exedunt, aut ſi in hominibus ſordidis pediculi occuparunt loca ulceribus adfecta, — quod morbi genus phthiriaſin palpebrarum vocarunt, — unguentum citrinum Edinb. ter per diem illinatur. Veſperi dein palpebris butyrum inſulſum aut aliud ejusmodi oleum admoveatur, ut concretio muci noctu ex parte impedita, morbi maturet ſana-

tionem. Unguentum iſtud citrinum tam diu adhibeatur, donec ulcerum maxima ex parte peracta fuerit ſanatio. In leviori morbi gradu ejus loco etiam aqua Conradina cum Laudano parata poterit adhiberi. — Dein ſuperficies exulcerata perfecte in integrum reſtituetur ſolutione lapidis divini aut aqua aluminata vel vitriolata. Tyloſin palpebrarum et maculas corneae ex ulceribus reſiduas unguento extinguimus, cum mercurio praecipitato rubro parato.

§. 438.

Cauſas jam ante expoſuimus, quae tertiam pſorophthalmiae ſpeciem in infantibus impetigine capitis adfectis maturant. Impetigo tunc ad oculos extenditur, atque ibidem propter ſtructuram conjunctivae effectus edit ab iſtis diverſos, qui in reliqua cute impetiginis ope producuntur. Phaenomena non tam in exulceratione conjunctivae, quam potius in muci ſecretione magis minusve inſigni cum membranae iſtius tumore juncta nituntur. Itaque hic morbus modo blepharo- modo ophthalmo-blennorrhoeae formam admittit.

§. 439.

Attamen a ſimplici ejusmodi malo diſcernitur haec pſorophthalmia infantum impetiginoſa, et praeſentia impetiginis cujusvis in vicinia oculorum cutem obſidentis et puſtulis impetiginoſis externam palpebrae cutem ejusque limbum magis minusve occupantibus, et exulceratione cutis in limbo ſaltem conſpicienda.

Prognoſis in hocce morbo diverſa erit ſecundum varium mali gradum. Si initio ſtatim medicus acceſſitur, interna palpebrarum ſuperficie tantum adfecta, et ſi ſtatus aegri aptam admittit curam, magis fauſta prognoſis erit. Quando autem blepharoblennorrhoea per longius jam continuata eſt temporis ſpatium, quando tumor palpebrarum tantus adeſt, ut ectropium jam effecerit, atque interna ejus ſuperficies fieri fungoſa coeperit, cura ſaltem diuturna opus erit usque ad perfectam mali extinctionem. Multo

pejorem prognofin medicus efformare cogitur, fi inflammatio jam bulbum ipfum ejusque conjunctivam affecit, fi jam vera adeft ophthalmoblennorrhoea, et exulceratio in cornea locum habuit. Cum jam fimplex ophthalmoblennorrhoea omnem exigat artis opem ad bulbum in integrum reftituendum, atque faepius omnia eludat fruftra fuscepta medici conamina, — quanto magis hoc evenire debet in ophthalmia ab impetigine capitis univerfali nutrita. Saepiffime tunc cornea ulceribus corrofa in ftaphyloma mutatur, cum perfecta et infanabili vifus extinctione.

§. 440.

Periculofum iftum mali gradum externus jam docet oculi adfecti adfpectus. Palpebrae duriores, denfae atque tali modo tumentes reperiuntur, ut bulbus ipfe neutiquam cognofci queat. Magna praeterea muci purulenti copia effluit, certiffimum iftud blennorhoeae oculi fignum. Tali in ftatu faepius corneam corruptam, vifumque amiffum reperies, fi vel tumorem ita imminueris, ut bulbi adfpectum admittat. — Quando vero palpebrae molliores, cutis ipfarum rugofa, atque effluvii purulenti expers eft, et limbi tantum muco incruftato referti reperiuntur, quando palpebrarum tumor tam tenuis eft, ut bulbum cognofcere valeamus, meliora praedicere licet, fi reliqua ad perfectam fanationem pernecessaria adfunt.

§. 441.

Quod curam attinet hujus blepharophthalmiae infantum impetignofae, illa et localis et univerfalis adhiberi debet. Infans omni die femel aut bis balneum ingrediatur tepidum, et fumma purgandi ejus corporis ratio habeatur. Abftineat a ciborum cuti noxiorum ufu, abftineat a pinguiori acidove victu, nutrimentisque leviter digerendis beneque nutrientibus utatur. Interne exhibeatur ipfi bis per diem pauxillum liquoris C. C. fuccinati, aquae aromaticae admixtum, cujus ufum tali in cafu

ſaepius perutilem obſervavi. Pro potu ordinario exhibeatur ipſi infuſum violae tricoloris, ſaccharo paullulum edulcatum, quod imprimis capiat ſub ipſum balnei uſum, et antequam aeger lectulum ſuum ingrediatur. Quodſi vero infuſum violae tricoloris ad vomitandum irritaverit, nauſeamve excitaverit, aegrotis tenuius ejus infuſum conducet, donec ipſi magis adſueti fuerint herbae.

§. 442.

Cutis pars impetigine tecta, ſicut etiam oculi tali modo adfecti ſaepius in dies infuſo lavandi erunt violae tricoloris fortiori. Illi infuſo, cujus ope oculi eluantur, pauxillum Laudani et mucilaginis ſeminum Cydoniorum addendum erit. — Quodſi vera adſit ophthalmoblennorrhoea, una ſemel aut bis per diem Laudanum purum oculis illinatur, et calor ſiccus et aromaticus ope ſacculorum diſcutientium iis admoveatur. Interne autem volatilia, imprimis liqu. C. C. ſuccin. multo largiori exhibeantur copia.

§. 443.

Curatio per infuſum violae tricoloris inſtituta ſemper urinae ſingulari exoritur mutatione, ſi ad ſanationem adducit aegros. Eximia enim emittitur copia, inſignem admittit foetorem, materia repletur calcaria, magnam ſedimenti copiam deponente, — — — atque ſi omnia haecce ſigna adſuerint, una deſquamatio impetiginis originem capit, quae etiam ophthalmiae maturat ſanationem.

Quando vero hicce violae tricoloris uſus medici ſpem nonnullis in caſibus ulla ratione fefellit, plures latere poſſunt cauſae, ante curae initium bene reſpiciendae, felici ſi gaudere velis medicamenti effectu. Repetitum et aſſiduum balnei uſum ante omnia medicus reſpicere debet tali in caſu, cum Violae tricoloris effectum mirum quantum adjuvare ſoleat. Deinde rationem habeat medicamentorum volatilium, quibus apta doſi

ad desquamationis usque tempus aegri utantur. Cutis praeterea per totum sanationis tempus quoad functionem illaesa maneat. Aegrotus vestimentis bene tectus incedat, et summa cautione omnem fugiat refrigerii occasionem. Attamen tempestate serena, sole splendente aëreque non frigido non damnum, imo potius utilitatem adferet aegris, si in publicum producantur.

§. 444.

Desquamatione impetiginis exorta, et oculi inflammatione ad sanationis stadium properante, id quod ex secretione abnormi ibidem desinente cognoscimus, licet oculi corroborare membranas, et systema lymphaticum ad majorem excitare efficaciam. Itaque non solum solutionem lapidis divini exhibeas cum laudano mixtam, sed etiam sacculi leviter aromatici oculis imponantur. Quibus continuandum est, donec oculi sanitas penitus restituatur.

Diathesis scrophulosa in ejusmodi infantibus sanata impetigine per aliquod temporis spatium restat. Apto ad ejus extinctionem opus est medicamentorum apparatu, qui vero hoc loco non uberius erit enumerandus.

§. 445.

Quarta denique et ultima morbi species olim sub falso Psorophthalmiae nomine comprehensa, quae vero, uti jam supra adnotavimus, melius sub nomine Blepharophthalmiae impetiginosae proprie sic dictae comprehenderetur, — nititur in herpete, aut in ulla alia impetiginis herpeticae extensione ad oculum, seu potius ad palpebras facta. Rarissimum est malum; quod nec in clinico Beeriano nec inter meos aegros mihi observare contigit.

§. 446.

Diagnosis mali tamen facilior erit. Sub signis herpetis, praesertim farinosi aut miliaris in una alterave parte corporis,

praeſertim ad caput, pone aures et ad faciem ſi impetigo prorupit, ſi deinde ad palpebras extenſa in membrana ipſarum interna ſingulares edidit effectus, qui et bulbum ſic adficiunt, ut levis ejus ſuboriatur rubor, — blepharophthalmiam impetiginoſam adeſſe conjicimus. Modo veſiculae minutae cum pruritus ſenſu in limbo palpebrarum et verſus externam et internam ipſarum ſuperficiem prorumpunt, atque deinde ſine muci ſecretione aut exulceratione locali cruſtis tectae in deſquamationem abeunt, — modo etiam veſiculae iſtae veram adducunt limbi palpebrarum exulcerationem, cum ſymptomatum grege in vera Pſorophthalmia aut Blepharophthalmia ulceroſa obſervando.

§. 447.

Cura mali cum exulceratione juncti inſtituenda erit uti illa Blepharophthalmiae ulceroſae. Quando autem ſola finitur deſquamatione, adſtringentibus jam inde ab initio morbi locus dabitur. Si denique interna medicamenta blepharophthalmiae ulceroſae conſentanea, ſanandae huic blepharophthalmiae herpeticae imparia fuerint, puto, herpetem tanquam localem cutis affectionem tractandum eſſe et tunc imprimis veſicatoria aut ipſo herpetis loco, aut in vicinia ejus impoſita et ad ſuppurationem diutius continuatam retracta ſummam ſpondere utilitatem.

LIBER DECIMUS NONUS.

De Ophthalmia ſcrophuloſa.

§. 448.

Morbus oculi inflammatorius in homine ſcrophularum morbo adfecto locum habens, et ſic decurrens, ut inflammationis ſymptomata ſtadiaque ex ſcrophulari morbo ſingulari ratione

immutentur, nec ullam perfectam admittant ſanationem, niſi ſimul medicus ad univerſalem reſpiciat corporis labem, — ſub ophthalmiae ſcrophuloſae nomine a nobis comprehenditur.

§. 449.

Univerſam ſcrophularum deſcriptionem noſtra aetate tam clari in arte medica viri ediderunt, ut ſuperfluum eſſet, ſi hacce occaſione Iliadem poſt Homerum ſcribere atque longiorem ejus morbi explanationem huic capiti praemittere auderem. Pauca tantummodo de morbo univerſali eo quidem conſilio adjiciam, ut doctrina de ophthalmia ſcrophuloſa intellectu ſit facilior, et cura ſimul morbi univerſalis, quae tali in caſu, uti ſaepius obſervare potui, minus recta juſtaque inter plurimos artis cultores inſtitui ſolet, magis adaequata locum habeat, — ne ſine illa morbi oculorum ſanatio multo difficilior reddatur.

§. 450.

Nulla fere aetas nobis morbi ſcrophuloſi tam innumera exhibet exempla atque ſymptomata, quam ea eſt, qua nunc degimus vitam. Quamvis certum ſit, veteres ſaepius non agnoviſſe et male dijudicaſſe hujus morbi naturam, aut ejus ſymptomata ulli alii tribuiſſe morbo, qui tunc temporis ſaepius occurrebat, ideoque medicorum magis excitabat attentionem, — tamen vitae ratio tunc temporis a noſtra admodum diverſa, cauſarum corpus debilitantium multo minor copia, atque corporis, ſeu potius ſyſtematis in ipſo irritabilis major exercitatio, et vis ipſius aucta inde redundans, et plurium incitamentorum abſentia, quibus noſtra aetate ſenſorium commune, atque ſyſtema corporis ſenſibile mirum quantum non ſine inſigni virium in irritabili ſyſtemate deperditione percellitur, — ea omnia ſcrophularum morbum inter veteres rarius excitabant. Aderat quidem inter ipſos etiam tempus, quo ob luxuriam, ob auctam animi culturam atque magis intentas ejus vires inter Graecos Romanosque corporis ad ſcrophulas diſpoſitionem magis frequentem

observare potuissemus. Sed tunc cutis curandae magis ratio in vita communi habebatur, et perpetuus balneorum usus cum victu multo lautiore et vini magis generosi potu ad corporis dispositionem scrophulari morbo adcommodatam plane amovendam sufficiebat.

§. 451.

Dispositionis scrophulosae originem pendere videmus ex caussis et in infantes et in parentes ipsorum suos effectus sic edentibus, ut in prole recens nata singularem istam adducant debilitatem, quae veram proximamque exhibet dispositionis scrophulosae caussam. Infantibus scrophulosis semper ii parentes utebantur, qui natura sua debiliore ornati corpore, aut per ullam aliam caussam debilitantem, manustuprationem, morbum francogallicum, vitam sedentariam, cum animi tristitia curis atque moerore et rerum inopia conjunctam, coitum nimium, aetatemve senilem debilitati, prima morbosae prolis in coitu deponunt elementa, aut qui nimis juvenili concumbunt vitae tempore, quo corpus ipsorum nondum firmum robur justamque magnitudinem adeptum est, aut in quibus morbus scrophularum jam aperte et cum omnibus suis malis adfuit, ut ita pro haereditaria labe sit habendus.

§. 452.

In infantibus denique, si vel vegeti et robusti ipsorum sint parentes, etiam morbus scrophularis acceleratur, si victu primis vitae temporibus minus apto nutriuntur, si lacte materno destituti non solum cibis crudis atque dyspeptis utuntur, et magis ex vegetabilium genere depromtis, qui vel homini seniori molestiam crearent; — si frequens inter ipsas est medicamentorum laxantium usus, quod communis medicorum tralatitiorum cura primis jam vitae suadet horis, — si syrupis denique lubricantibus miserorum infantum intestina replentur. — Quibus debilitas atque atonia totius inducitur corporis, quam vel sequentes vitae anni

neutiquam extinguere valent. Quando denique morbofa cutis adfectio, quae imprimis etiam huic morbo occafionem praebet, balneis neglectis atque immunditie fublevatur, et leviora corporis integumenta frequentem refrigerii adferunt caufam, — quando homines in cubiculis degunt anguftis, fordidis, atque exhalatione impura atque foetida repletis, quando ciborum ratio, quae primis jam aderat vitae temporibus, etiam in fequentibus continuatur vitae annis, quando etiam inepto medicamentorum valide incitantium apparatu, opio et effentiis fpirituofis vexantur, quando denique omnis negligitur corporis exercitatio, et contra animus infantis nimis cito ad res graviores ftudiofe addifcendas inftigatur, quid miraris, fi fcrophularem morbum multo frequentius oriri videris, quam inter nos jam reperitur. Si vel non initio adfit, mox tamen prorumpit, quando mutationes quaedam functionum organismi graviorum adfunt, quas corpus debile non peragere valet, nifi relicta fimul ea virium exhauftione quae morbum fcrophularem adferre valebat. Atque tali modo ex dentitione, celeri corporis excrefcentis incremento, ex morbis variis infantum praegreffis, uti variolis, fcarlatina, morbillis, atque ex pubertate incipiente fcrophularum morbi originem medici obfervare potuerunt.

§. 453.

In hominibus juvenili aetate hoc morbo adfectis plerumque, fi aetate profecti fuerint, arthritidis feu aliorum morborum, natura arthritica praeditorum, uti ulcerum pedis, haemorrhoidum fymptomata fefe manifeftare folent, cum in perfecta fcrophularum fanatione etiam tantus fit roborantium et tonicorum ufus, — hoc etiam nos inftigare deberet ad rectam arthritidis fanationem. Uti in capite de ophthalmia arthritica adnotavimus, multo faepius fperanda foret perfecta arthritidis in aegrotis ea adfectis extinctio, fi non tam antarthritica fola, quam potius tonicorum rectus ufus et fingulo aegroto adcommodatus ad ejusmodi mali adhiberetur fanationem.

§. 454.

Scrophularum morbo adfecti varias in classes dividuntur, quae, cum haec distinctio ad diagnosin et curam ophthalmiae scrophulosae maxime necessaria habeatur, uberius erunt exponendae.

Primum genus scrophulosorum admodum irritabili gaudet systematis vasorum, praesertim arteriarum statu, cui vero energia seu magna virium ad sustinendas reactiones copia deest. Huc pertinent praesertim infantes ingenio sagace et vivido ornati, irritabiles, procera corporis statura et cute tenuiori et a vasis laete rubente instructi, quorum corpus celeriter crescit, et ingenii dotes praematuro acumine insignes reperiuntur. Omnis vehementior corporis incitatio ipsis magnopere molesta statum systematis totius sanguiferi vehementer commovet, atque sic celerrime defatigantur. Similem actionem systematis sanguiferi auctam in iis incitantium, vini, spirituosorum, reliquorum volatilium usus excitat, et si non aliud symptoma, saltem sanguinis profluvium e naribus subortum animadvertitur. Quando ophthalmia corripiuntur ea plerumque formam ophthalmiae externae prae se fert cum ulceribus ichorosis conjunctae.

§. 455.

Alterum genus scrophulosorum contra corporis habitu laborat inerti, pastoso, et magis vegetari quam vivere videtur. Cutis ipsorum pallet, collum atque abdomen crassitudine gaudent insigni, maxilla ipsorum inferior insignem habet latitudinem, et plerumque impetiginibus obnoxii reperiuntur, caput aut aliam corporis partem obtegentibus. Proni sunt ejusmodi homines ad cachexias mucosas, frequentibus laborant blennorrhoeis, fluore albo, effluviis aurium ichorosis, et similibus excretionibus propter morbosam corporis debilioris rationem subortis. Quapropter etiam tales homines praesertim ad oculi inflammationes sunt proclives, quae cum blepharo- et ophthalmoblennorrhoeis conjunctae reperiuntur.

§. 456.

Sed non ſemper aegri tam diſtincte uni alterive ſcrophuloſorum generi adnumerandi ſunt. Modo aeger ſymptomata exhibet utriusque generis junctim in ipſo conſpicua, modo unius magis quam alterius. Attamen ſemper adſunt. Frequens in juventute noſtra morbus etiam ophthalmias infantum maxima ex parte ſcrophuloſas efficit, — ut ita non ſolum Vindobonae ex viginti juniorum hominum ophthalmiis undeviginti ſint ſcrophuloſae naturae, ſed etiam in illa regione, ubi ego ad hoc usque tempus praxin exercere medicam potui, eadem ophthalmiarum inter infantes ratio reperiatur.

§. 457.

Ad ſingulas nunc tranſeamus morbi formas, ſub quibus ophthalmiae ſcrophuloſae decurſum obſervamus. Primo et quidem admodum frequenter haec formam blepharophthalmiae glanduloſae admittit, cujus autem decurſus varia et ſingularia prae ſe fert ſymptomata, cujus ope morbum a genuina et ſincera palpebrarum inflammatione facilius dignoſcere valemus.

Palpebrarum limbus ſub morbi initio dolere incipit cum rubore magis minusve inſigni, qui etiam ad ipſam bulbi conjunctivam paullulum extenditur. Adeſt una ſpasmus palpebrarum periodicus, — qui vel ſine luminis oppoſiti ſenſu exoritur, et ab affectione conſenſuali muſculi orbicularis pendere videtur, — photophobiae minor gradus atque dacryoſtagia. Celeriter muci incipit ſecretio in margine palpebrarum ſic affecto, qui quidem aegro in tenebris verſante craſſior atque ſpiſſior reperitur, ſub luminis vero oculum percellentis ſplendore atque photophobia inde orta multo tenuior atque magis fluidus ob lacrymarum profluvium ea ratione excitatum reperitur. Quapropter etiam noctis tempore margines palpebrarum firmiore muco inter ſe conglutinantur, mane demum aliquo modo a ſe invicem diducendi.

§. 458.

Insignem praeterea observarunt ophthalmiatri in ophthalmia scrophulosa partium inflammatarum ad indurationem proclivitatem. Habes exinde symptoma in hacce blepharophthalmia tralatitium, quod ipsa per majus minusve temporis spatium continuata aut saltem ad finem properante exoritur. Margo palpebrarum magis minusve indurescit, aut etiam noduli in ipso exsurgunt, sub nomine hordeolorum nobis omnibus noti, qui interdum tali marginem palpebrarum copia obsident, ut omnis ejus superficies nodosa atque inaequalis observetur. Tylosis igitur, uti istam limbi vocamus indurationem, aut hordeolum, aut utrumque simul semper in secundo exoriuntur blepharophthalmiae scrophulosae stadio. Si morbo sanato haec vitia palpebrarum organica relinquuntur, varia exinde redundant damna. Etenim vi mechanica bulbum irritant, inflammationem ejus alunt continuam, atque inaequalem adeo reddere valent gemmae levigatae instar (*die Oberfläche wird facettirt*) corneae superficiem.

§. 459.

Saepius sub ipso mali incremento etiam transitum ejus ad saccum lacrymalem observamus, et tunc plerumque blennorrhoea ejus suboritur scrophulosa, cum acrioris liquoris e naribus effluvio, alas nasi labiaque irritante, et ad tumorem cutisque excoriationem provocante. Quod quidem morbi genus in capite de sacci lacrymalis inflammationibus uberius est expositum.

§. 460.

Malo neglecto et male curato, aut in aegris ad tale quidquam praecipue dispositis, si praesertim ad alteram pertinuerint scrophulosorum classem, — facillime simplex blepharophthalmia in blepharoblennorrhoeam et ophthalmoblennorrhoeam abire solet. Quod quidem malum, inprimis autem alterum et gravissimum et insigni cum periculo conjunctum erit, si hominem jam aetate provectum, maxima simul scrophularum labe adfectum, et

una exhaustum debilitatumque arripit. Etenim morbus in ipso minus celeriter procedit, et corneae tota superficies magis minusve destructa erit, antequam medicamenta et localia et universalia consuetam ferre opem potuerint.

§. 461.

Alium eumque minus faustum exitum habemus in blepharophthalmia scrophulosa, si inflammatio etiam ad tarsum usque extensa vitium ejus organicum, praesertim ipsius corrugationem cum entropio et trichiasi conjunctam attulerit. Tali in casu tristiore palliativum modo adfert auxilium ciliorum extractio, qua et irritatio oculi per limbum universum imminuitur, et ciliorum tandem, sub continuato extractionis usu, excrescentiam penitus opprimere et impedire valemus.

§. 462.

Quae omnia etiam prognosin medici paullo certiorem reddere valebunt. Respiciat et ad morbi universalis gradum, et ad blepharophthalmiae rationem. Quae si simplex tantum adfuerit, meliora quoque sperare licebit. Pejora vero praedicanda sunt, si malum jam in ophthalmoblennorrhoeam transiit, aut si vitia attulit organica, quorum facilior aut plane impossibilis sanatio etiam medici definiat praedictionem. Quando praeterea universalis scrophularum morbus adest in homine jam adulto, aut quando in juvenili vel potius infantili corpore summus ejus reperitur gradus, maxima cum debilitate et solidorum atonia conjunctus, — saltem ex eo jam patet morbi oculorum progressum multo celeriorem magisque rapidum fore, atque non raro, praesertim in ophthalmoblennorrhoea ipsam superaturum esse artis opem.

§. 463.

Quod curam attinet mali universalem, ea ad ipsius morbi rationem gradumque est referenda. Aegri prioris ordinis lavacro utantur tepido, quod vero magis ad frigidum accedens sub per-

petuo ejus uſu pedetentim frigidum reddatur, donec corpus frigori illud roboranti adſuefactum fuerit. Aegroti praeterea per paucum modo temporis ſpatium per duo aut quinque horae minuta in ejusmodi lavacro commorentur, atque ex illo exſurgentes ſtatim et aſſidua manuum ope per linteola ſic abſtergendi deſiccentur, ut omnis refrigerii pereat metus. Deinde veſtimentis bene tecti per aliquod obambulent temporis ſpatium. Ipſorum corpus praeterea ſaepius moveatur, vitato tamen vel minimo corporis ardore aut ejus irritatione. Vitent praeterea omnes animi affectus, et nimiam animi intentionem, omnem potum ſpirituoſum, pauxillo vini excepto, praeſertim ſi paucum alcohol et incitantis principii, major autem acidi copia ipſi ineſt. Vinum igitur tenue et acidum magnopere iis conducet. Abſtineant praeterea a victu pinguiori acidoque, per longius dormiant temporis ſpatium, — eaque ratione pedetentim diſpoſitionis ſcrophuloſae extinctio expectanda erit.

§. 464.

In altero autem ſcrophuloſorum genere, ubi morbum magis perfectum et in omni corpore diſperſum habes, remediorum internorum uſu indigemus, ſi ſanatio ſcrophularum ſit expectanda. Saepius non ſolum corpus in aëre puriori, praeſertim calidiori ita quidem moveant, ut ſudor ex cute prorumpat, — id quod aegrorum curationem magnopere ſublevabit, — ſed etiam omnem vitent corporis quietem, non per longum dormiant temporis ſpatium, atque e ſomno ſuſcitati perpetuo negotiis ſint occupati, modica vini generoſi copia cibisque facile digerendis, carneque imprimis aſſata utantur, atque ſaepius balneum tepidum ingrediantur. Remedia praeterea capiant antiſcrophuloſa.

§. 465.

Attamen in ipſorum uſu cauti ſint medici. Non ſolum, uti jam alio monſtravimus loco, tonicis jungenda erunt atque volatilibus, ſed etiam in uſu ipſorum per longius temporis ſpatium

continuandum erit. Etenim non ſolum organismus citius ſeriusve ipſis eo modo adſueſcit, ut omni deſtituantur effectu, — quae ſine dubio cauſa fuit, quare varia remedia a nonnullis omni utilitate deſtituta eſſe dicerentur, — verum etiam ipſorum, praeſertim antimonialium et mercurialium, cicutae, aconiti, digitalis etc. magis diuturnus uſus tractum eo modo debilitat inteſtinalem, ut mox graviora mala, ſcrophulis admodum ſimilia, quae in ſumma organorum nutritioni deſtinatorum atonia nituntur, damnum irreparabile tanquam neceſſarios talis vitae rationis effectus adferant. Quando igitur uſus ipſorum neceſſarius videtur, ſemper cum amaris jungantur, volatilibus atque balneo, et per paucum modo temporis ſpatium adhibeantur, donec effectum in ſyſtema lymphaticum, quo inprimis pollent, ediderint ſingularem. Tunc ab iis abſtinendum, et ſolis modo tonicis confidendum, quae ſola ſaepiſſime cum balneo juncta ſcrophuloſorum maturare valent ſanationem.

§. 466.

Tantum de cura morbi univerſalis. Ad localem nunc tranſimus blepharophthalmiae glanduloſae curam. Effluvium muci, quod ſua ſemper percurrit ſtadia, ita maturandum erit, ut ſyſtematis praeſertim lymphatici, in ophthalmiis ſcrophuloſis inprimis adfecti, ſimul ratio habeatur. Solutio Sublimati in aqua deſtillata cum mucilagine et Laudano parata, ſi ipſa ſaepius oculos purgamus, huic conſilio apta erit. Attamen tenuior ſit (gr. j. in ℥vj aquae), in aegris prioris ordinis, cum contra ſecundi ordinis ſcrophuloſi paullo fortiorem ferant. Spasmus palpebrarum linteorum cum camphora impraegnatorum ope, aut per ſacculos ex herbis aromaticis paratos ſedetur, eoque ſedato ſola modo aqua mercurialis exhibeatur, donec morbi ſymptomata ex muci ſecretione pendentia evanuerint. Verſus finem morbi ad adſtringentia, ſolutionem praeſertim lapidis divini tranſeat aegrotus.

§. 467.

Tyloſis ſi poſtea vel cum hordeolo vel ſine eo ex hacce in-

flammatione relicta fuerit, unguentis incitantibus amoveatur. Mercurius ruber hic apto loco adhibebitur. Unguentum cum ipso paratum semel aut bis per diem illinatur, ad perfectam usque Tyloseos extinctionem. Interdum et mercurii in unguento dosis augenda erit, si partes adfectae minus sensibiles reperiantur.

§. 468.

Quando malum in blepharoblennorrhoeam transit, ab aquae Conradinae usu abstinendum erit. Aqua exhibeatur simplex cum mucilagine et Laudano parata, et Laudanum semel in die conjunctivae tumenti illinatur. Morbo sic oppresso reliquiae inflammationis adstringentibus erunt sedandae. Ophthalmoblennorrhoea denique suborta, medendi methodus locum habeat jam supra allata, internus tonicorum cum volatilibus mixtorum usus, et externe aqua ophthalmica cum Laudano una cum Laudani inunctione et sacculis discutientibus adhibeatur. Sed Ophthalmoblennorrhoea in scrophulosis suborta pejorem semper exigit prognosin, exulceratione corneae tam celeriter aucta, ut aegrotis vix ab ophthalmiatro auxilium possit parari.

§. 469.

Saepius vero etiam ophthalmiam scrophulosam tanquam ophthalmiam externam observare potuimus, quae in exterioribus oculi membranis haerens tam singularia exhibet signa, ut facillime cognoscatur. Conjunctiva bulbi rubore gaudet diffuso, qui in singulis vasorum fasciculis haeret, ex utroque oculi angulo ad corneam concurrentibus. Mox sub morbi initium in fine interiore cujuslibet fasciculi phlyctaenula exsurgit, quae diversa reperitur, et ex sede, quam occupavit, et ex hominis aegrotantis ratione. Conjunctivae corneae inhaerentes admodum parvae sunt, in illa scleroticae vero insignem saepius magnitudinem adipiscuntur, et ita varios auctores, praesertim Hegerum atque Spindlerum, ad opiniones deduxerunt, conjunctivam particulis adiposis, insignem saepe pterygii similitudinem ostentantibus, conspici refertam.

§. 470.

Diverſae praeterea phlyctaenulae iſtae, ſi corneae inhaerent ex varia aegrotantis ratione reperiuntur. Etenim in aegrotis prioris ordinis referunt veſiculas aqua refertas, quae mox ruptae ulcera producunt ichoroſa et ſerpentia, quorum margo minus diſtinctus et latior reperitur. Attamen vel nunquam vel paucis in aegris corneam tali modo exedunt, ut vel plane non; vel rariſſime ab iis perforetur. In ſcrophuloſis autem ſecundi ordinis puſtulae ſunt pure refertae, quibus ruptis ulcera oriuntur apertam puris generationem in ipſorum ſuperficie viſui monſtrantia. Ulcera ejusmodi purulenta anguſtis quidem gaudent marginibus, ſed admodum profunda ſunt, et quaſi infundibuli formam prae ſe ferunt. Quo modo fit, ut facillime cornea exedatur, eaque perforata et humoris aquei effluvium et iridis prolapſus ejusmodi laeſionem ſequantur. Ulcera ſi purulenta in externa bulbi ſuperficie adſunt, plerumque etiam blepharophthalmia glanduloſa malum comitatur. Rarius tale quid obſervamus in ophthalmia externa ſcrophuloſorum primi ordinis, et in ulceribus corneae ichoroſis cum ea conjunctis.

§. 471.

Attamen gravius hoc malo affliguntur primi ordinis ſcrophuloſi. Etenim in ipſis ob majorem vaſorum ſanguiferorum ſenſibilitatem etiam partes oculi magis ab ophthalmiae corripiuntur vehementia. Photophobia in iis adeſt gravior, cum ab ea ſecundi ordinis ſcrophuloſos plane liberos eſſe obſervetur. Iritis rariſſime comes eſt et ſignum ophthalmiae ſcrophuloſae, ſi vero ab inepta oculum tractandi methodo originem duxerit, ſemper fere eam in ſcrophuloſis primi ordinis obſervamus. Celeritate quadam procedit inflammatio in iis, lente et cum ſegni quadam actione in ſecundi ordinis ſcrophuloſis. In hisce unum aut alterum modo ulcus corneam occupat, in illis plura adeſſe poſſunt, quae vel in unum ſat grande coaleſcunt. —

§. 472.

Exitus minus fausti ophthalmiae externae in scrophulosis ante omnia enumerandi erunt, antequam ad prognosin nos convertamus. Ulcera ichorosa primi ordinis aegrorum male tractata magis minusve insignem exedunt conjunctivae et corneae exterioris superficiem, raro vel nunquam ipsam perforantes. Tali in casu minus fausto vel in margine ulceris universalis lobulos conjunctivae exesae adspicere vales. Si ulcera nunc sanantur, atque conjunctivam cum exteriore corneae lamina naturae vires neutiquam reparare potuerunt, — cornea debilior sub musculorum oculi actione humori aqueo non vires opponere valet necessarias, atque humor aqueus sic debiliorem corneae partem quasi protrudit, quae jam eminentiam format insolitam in oculi superficie, sub ceratoceles nomine inter recentiores ophthalmologos notam.

Aliis in aegris classis prioris ophthalmia externa saepissime abit in ophthalmoblennorrhoeam, praesertim si ineptis remediis, v. g. unguento cum mercurio rubro, ulcera oculi oppugnare fueris ausus. Consueto tunc decursu incedit malum atque cura necessaria erit eadem, cujus jam supra mentionem injecimus.

§. 473.

In secundi ordinis aegrotis ulcera corneae purulenta, si vel non ipsam perforaverint, facillime pus intra corneae laminas effundunt, atque sic ejus adferunt obscurationem. Hic habes caussam erroris in diagnosi quae multorum aegrorum oculos destruxit. Etenim medici minus instructi ulcera talia pro simplicibus habebant corneae maculis, ulceratam obscurationis partem non adspicientes, atque sic remedia contra maculas, pulverem cum saccharo et bolo, aut unguentum cum mercurio praecipitato rubro praescribentes, inflammationis atque exulcerationis vehementiam ad oculi usque augebant destructionem.

Inflammationis vehementioris praesentia atque inaequalis

corneae obſcuratae ſuperficies, ſi illam a latere inde adſpicere conatus ſis, attentiorem medicum a tam periculoſo defendent in morbi diagnoſi errore.

§. 474.

Aliud malum inter ſecundi ordinis ſcrophuloſos ex panni origine redundat. Videmus in ſcrophuloſis, uti jam ſupra adnotavimus, eximiam ad concretionem lymphae coagulabilis proclivitatem. Conjunctiva in aegrotis ophthalmia externa adfectis ſemper inflammatione correpta eſt inſigniori. Character morbi tali in caſu, — praeſertim ſi medicaminum uſu ſublevatur, lymphae coagulationem augentium, quo imprimis ſaturnina referri merentur, — lymphae in vaſis atque cellulis conjunctivae ſtagnantis coagulationem adducit. Cum vero ejusmodi lymphae coagulatio ſemper albitudinem coloris oſtendat, ideoque in corneae conjunctiva obſcurationis ſignum efformet, habes inde cauſſam et rationem mali, quod ſub panni nomine inter nos venit, quod ophthalmiam externam inter ſcrophuloſos ſecundi ordinis diutius continuatam quam frequentiſſime ſequi videmus, — et quod tamen etiam in aliis ophthalmiis externis, quae chronicae evaſerunt, et cum conjunctivae bulbi affectione praeſertim conjunctae ſunt, uti in trichiaſi, ſaepius obſervare potuimus.

§. 475.

Denique etiam in aegrotis ſecundi ordinis ulcera purulenta, ſi majori adfuerint copia, ſi corneam omnia fere perforaverint, et ſi hujus membranae ſtructura valde turbata fuerit, ſtaphyloma ophthalmiae relinquunt praegreſſae effectum. Iris per ulcera penetrans prolapſionem membranae laudatae adfert, pupilla priſtina ſaltem diſtrahitur, et interdum per ejus foramina lentem vidimus prorumpentem, ſi hypopion una ſub finem morbi accedens capſulam lentis deſtruxerat. In omni tali caſu etiam viſus aboletur, et ſi vel oculi forma integra ſit, corneae tamen

forma et perſpicuitas tali modo eſt corrupta, ut nulla ratione in integrum reſtitui queat.

§. 476.

Quae de prognoſi morbi univerſalis dicenda erant, jam ſupra attulimus. Quod ophthalmiae externae in ſcrophuloſis attinet praedictionem, eam et aegrotantis natura et morbi ratio definire ſolet. Pejorem habemus, ſi multa jam ulcera corneam obſident, et e regione pupillae praeſertim haerentia conſpiciuntur, ſi haecce ulcera magis purulenta ſunt, uti in ſcrophuloſis ſecundi ordinis ſemper fere locum habere ſolent, et ſi obſcurationem aut vitia corneae organica jam adduxerant. Quod noxios morbi effectus attinet, in iis varia prognoſis locum habebit, ex magis minusve inopi artis auxilio in iis ſanandis praeſtito. Multo majus praeterea periculum adeſt in iis, quibus ophthalmoblennorrhoea adjungitur, multo majus in aegris, quorum cornea citius quoad formam et perſpicuitatem laedi ſolet, i. e. in ordinis ſecundi ſcrophuloſis.

§. 477.

Prognoſis contra melior erit in iis, quorum morbus in primo verſatur ophthalmiae ſtadio, ubi phlyctaenulae et puſtulae nondum fuerunt ruptae, ubi, ſi vel ulcera adfuerunt, non magna copia nec e regione pupillae haerentia adſunt, aut ipſorum natura non celeriorem adducere ſolet corneae deſtructionem, uti in prioris ordinis ſcrophuloſis obſervamus. Denique non prorſus infauſta erit prognoſis in iis ulceribus corneae purulentis, quae minore copia oculo inhaerentia a medico, antequam corneam perforaverint, recte tractantur, — cum multo minorem, adhuc ſanabilem, aut plane nullam in oculo tunc corneae obſcurationem relinquant.

§. 478.

Quod curam attinet localem ophthalmiae externae inter

ſcrophuloſos, ea ex aegroti hominis ratione, ex diverſo phlyctaenularum atque ulcerum ſtatu determinatur. Antequam phlyctaenulae ruptae in ulcera tranſierunt, abſtinendum erit ab omni adſtringentium uſu, — etenim ſtatus oculi inflammatorius eo augebitur, impedita ſimul phlyctaenularum ruptura et, ſicut experientia non docuit, volumine ipſarum aucto aut ſaltem indurato. Solutio Sublimati, vel aqua Conradina ophthalmica, ut vocant, tali in caſu oculo conducet, cum incitante et abſorptionem maturante ſublimati virtute. Etiam membranularum puſtulas illas involventium ruptura promoveatur, nec tamen incommoda ejus uſum comitentur, quae vulgaris maturantium, uti vocantur, effectus in oculos prae ſe ferre ſolet. Attamen etiam in hujus aquae ophthalmicae uſu cautus ſit medicus ſecundum variam ſcrophuloſi aegrotantis naturam et rationem.

§. 479.

Major ſi una adeſt oculi ſenſibilitas et gravius lacrymarum profluvium, oculus indiget caloris ſicci aut etiam aromatici uſu. Conſueto more talis oculo ope ſacculorum diſcutientium admoveatur, donec iſtud ſymptoma plane ceſſaverit. Attamen et in ipſorum uſu cautus ſit medicus, cum oculi quorundam ſcrophuloſorum calorem aromaticum non ſemper ferre ſoleant, quia dolor atque reliqua inflammationis ſymptomata ex ipſo increſcunt. Itaque calor ſiccus et leviter modo aromaticus oculo primum admoveatur, et deinde demum ad herbas camphorae perſimiles et ad camphoram ipſam transgrediendum erit.

§. 480.

Phlyctaenulis et puſtulis apertis et in ulcuſcula mutatis, uti ex foveola in ipſarum ſuperficie haerente cognoſcimus ad remedia transgrediendum erit, quae iſtam ſecretionem morboſam emendant, atque ulcerum ſanationem eo modo promovent, ut perſpicuitate neutiquam cornea adfecta orbetur. Ulcera icho-

rosa in primi ordinis scrophulosis locum habentia solutionis lapidis divini exigunt usum. Plerumque una symptomata aderunt, sacculorum discutientium usum exigentia. Ambo remedia tali in statu ad perfectam oculi sanationem sufficient.

§. 481.

Quando autem in secundi ordinis scrophulosis ulcera reperiuntur purulenta, quae alte penetrant, et corneae perforationem minantur, solutio lapidis divini etiam opem feret, sed sine aut sine multo saltem aceto lythargyrii magnaque Laudani copia parata. Abstinendum tali in casu erit ab omni saturninorum usu, cum obscurationem in loco corneae ulcerato adducant.

§. 482.

Quando praeterea ulcus purulentum in cornea habes, semel in dies laudano penicilli ope corneam innugas, cum tali ratione ejus sanatio celerius procedat, et, si simul saturnina plane rejiciantur et paullulum lapidis divini in solutione diluta adhibeatur, sub laudani usu locali rarissime obscuratio corneae ex ulcere insanabilis atque gravior erit timenda.

§. 483.

Noxii effectus, qui ophthalmiam inter scrophulosos externam excipiunt, singulari deinde sanatione indigent. Ceratoceles, si fieri poterit, sanationem sub exiguo mali gradu promovebit unguenti mercurialis rubri inunctio. Maculae corneae ejusdem exigunt medicamenti usum. — Ophthalmoblennorrhoea, si una adfuerit, consueta et saepius jam laudata ratione sit sananda. — Puris infiltratio intra corneae laminas facta, si cum ulceribus praesentibus tractatur, localem modo exigit laudani usum, cujus admirandas in tali casu virtutes observavimus. Quando autem ulceribus sanatis et ophthalmia praetergressa adest, uti macula corneae consueta ratione tractetur.

§. 484.

Gravius malum atque difficiliorem ſanationem in panno videmus. Tale malum ſemper erit timendum in ſcrophuloſis ſecundi ordinis ophthalmia externa correptis, quorum malum praeſertim chronicum et membranae oculi jam debilitatae fuerunt. Tali in caſu Laudanum modo ſemel aut bis in die inungatur. Quod in malo inveterato non merum, ſed cum balſamo Peruviano vel de Copaiva mixtum, uti Schmidtius illud exhibuit, adhibeatur. Pergendum erit, donec pannus vel penitus vel ex parte evanuit.

§. 485.

Quaedam nunc mihi addenda videntur de unguenti mercurialis rubri in ophthalmiis ſcrophuloſis uſu. Abuſus repetitus talis medicamenti fortioris et noxii effectus, tam ſaepe ex illa medicina infeliciore conſpicui Beerium, quem honoris et reverentiae cauſa nomino, eo adduxerunt, ut omnem ejus in inflammato oculo uſum in praelectionibus ſuis interdiceret, eumque ſolum ad obſcurationes corneae ſanandas adhiberet. Uti ſcio, plurimi ejus diſcipulorum huic regulae inhaerentes, praxin eo modo exercent, et ego etiam per aliquod temporis ſpatium huic dicto praeceptoris mei fidem adhibui. Attamen oblati mihi ſunt aegri, quorum oculi tam debiles, et morbus ſcrophularum tam inveteratus fuit, ut non ſolum poſterioris ſanatio longiſſimum exigeret temporis ſpatium, ſed etiam ophthalmia optima quaque ratione ſanata, ex leviſſimo errore et ex refrigerio praeſertim rediret.

§. 486.

Cognoſcere vales tales aegrotos ex habitu corporis ſcrophularum morbum graviorem, prioris praeſertim ordinis prodente, ex oculo priſtinam jam partis adfectionem per maculas ibi conſpicuas indicante. Tali in caſu ſolum unguentum mercuriale rubrum ſalutem adferet. Quo ſemel aut bis in dies oculus in-

ungatur. Effectus ex ejus uſu hi erunt exſpectandi, ut oculus meliore ſtatu uti incipiat, utque inflammationis chronicae reditus impediatur. Quae quidem obſervata me ad hanc deduxerunt opinionem, ut unguentum mercuriale rubrum pro optimo habeam tonico in ſingulari bulbi debilitate uſum praeſtante. Attamen neceſſarium erit, ut cum opii aliquot granis ad ſopiendos vehementiores ejus in oculum effectus miſceatur.

LIBER VIGESIMUS.

De Ophthalmia ſyphilitica.

§. 487.

Inflammatorius oculi morbus in homine, qui morbo venereo laborat, et cujus ophthalmia ab hoc ipſo malo varie immutatur, ut etiam ſymptomata ſingularia prae ſe ferat, et ſingularem habeat decurſum, — ſub ophthalmiae ſyphiliticae nomine comprehenditur. Varia ipſius extant genera, ſicut etiam phaenomena in ſyphilitide diverſa locum habere ſolent. Quae hucusque a medicis minus recte ſejuncta, etiam diagnoſin hujus mali inter ipſos ſic turbarunt, ut plurimi medicorum diſtincta carere ſoleant ophthalmiae ſyphiliticae ratione, — uti et de reliquis ophthalmiae ſpeciebus perſaepe licet obſervare.

§. 488.

Contagium morbi gallici membranas oculi mucoſas afficiens in plerisque caſibus inflammationem ejus excitat, nimiam muci in ipſis ſecretionem producens. Sub uſu remediorum huc ſpectantium hocce muci purulenti profluvium tandem perit, ipſaque vehementi inflammationis concitatione in membrana ocu-

li continuata (reactione inflammatoria) venenum plerumque ex corpore amovetur, ut rarissime tali in morbo antisyphilitica eaque interna necessaria esse videantur.

§. 489.

Blennorrhoea talis syphilitica prae caeteris membranas genitalium mucosas adficiens sub nomine gonorrhoeae inter nos est infamis. Quando mucus talis venereus oculum tangit inflammatio fat vehemens in membrana oculi externa, quae jure meritoque mucosis adnumeratur, exoritur, cum muci venerei excretione, quae gonorrhoea oculi, seu ophthalmoblennorrhoea syphilitica vocatur. Simili modo haecce ophthalmia exoritur ex oppressione gonorrhoeae in partibus genitalibus ex ulla quadam causa suborta. Consensus enim inter oculum et partes genitales locum habet, cujus causa vix explicanda erit, et forte in eo consistit, quod utrumque organon sit sensibilitate insigni instructum, consensum talem constituente. Quo fit, ut secretio morbosa in uno organo oppressa, in altero cum eodem per consensum juncto suboriatur.

Malum hocce primum genus ophthalmiae syphiliticae constituit, ab altero ipsius genere eadem ratione diversum, qua gonorrhoea simplex a lue francogallica eaque pleniore differt.

§. 490.

Alterum genus ophthalmiae venereae originem ducit ex syphilitide, quae totum hominis organismum infecit. Nos omnes scimus, luem cum toto corpore communicatam praesertim vi reproductiva abnormi et irregulari cognosci, cum non solum ulcera et maculas venereas, verum etiam varii generis excrescentiam, condylomata, tumores ossium, adeoque secundum factas recentiorum observationes excrescentias in corde polyposas producat, et hisce prolatis morbi effectibus vitae hominis periculum adferat. Simile quiddam fieri solet in altero hujus ophthalmiae syphiliticae genere, uti descriptio sequens nobis demonstrabit.

Jure meritoque igitur primum genus gonorrhoea oculi, ſecundum vero ſyphilis oculi vocari poſſet. Ambo, quod ſymptomata, decurſum, curam atque prognoſin attinet, penitus inter ſe diverſa, diſtinctam quoque deſcriptionem requirunt. Prae caeteris igitur de gonorrhoea oculi agamus.

§. 491.

Aetiologia ophthalmiae gonorrhaicae duplex erit. Etenim ex veneno oculis ipſis illato vel per conſenſum ex gonorrhoea ſuppreſſa exoritur. Cauſa prior locum habet in hominibus negligentibus et ſordidis, qui manu illota, quacum antea genitalia muco venereo conſpurcata tetigerunt, oculum unum alterumve terendo inficiunt. Crebram etiam contagionis cauſam exhibet opinio plebis et vetularum, quae oculos magis minusve aegros urina lavare jubet. Homines, qui gonorrhoea laborabant, et qui una oculum urina laverant, cui mucus venereus admixtum erat, ſic ophthalmia gonorrhaica adfectos vidi.

§. 492.

Altera cauſa gonorrhoeae oculi ex gonorrhoea genitalium ſuppreſſa originem ducit. Suppreſſio talis ex variis cauſis oriri ſolet. Modo interna medicamenta, admodum incitantia et in ſyſtema uriniferum una agentia, uti balſama varii generis, cantharides, etc. in primo et inflammatorio morbi ſtadio exhibita, — modo injectiones adſtringentes et ſecretionem opprimentes, quibus imprimis ſaturnina admixta erant, primo gonorrhoeae tempore in urethram factae, — modo refrigeratio, quam partes genitales leviter tantummodo tectae propter temperaturam coeli vehementer mutatam ſubierant, et qua gonorrhoea praeſens opprimebatur, — modo firma penis per faſcias conſtrictio eam ob cauſam facta, ne muco effluente induſium conſpurcetur et ſic morbus prodatur, — ejusmodi oculorum inflammationi gonorrhaicae praebent occaſionem.

§. 493.

Ipſe decurſus morbi varius eſt. Si leviſſime adfecerit aegrotum, ophthalmiatri lippitudinem tantummodo ſimplicem obſervarunt. Sed in ejusmodi caſibus fauſtis non aderat gonorrhoeae ſuppreſſio, ſed levis tantummodo per contagionem oculo admotam infectio. Homines praeterea non admodum proni ad morbum fuiſſe videntur, ſicut interdum in puſtula venerea obſervamus, quae ex locali infectione ſuborta rumpitur, nec ulcus relinquit venereum, ſed nullo veneno in corpus humanum immiſſo ſanatur. In tali caſu organismus ad ſyphilitidem minus pronus infectionem per illam reſpuiſſe videtur.

§. 494.

Sed talis gonorrhoea oculi rariſſime invenitur. Plerumque vehementem partium externarum inflammationem, ejusque triſtes adducit effectus, et cum magna celeritate ſtadia ſua percurrens, ſaepius conamina medici irrita reddit.

In corpore juvenili, robuſto, et ſyſtemate irritabili ſat valido gaudente, qui gonorrhoea laborans hancce ſuppreſſerat, rubor marginis palpebrae ſuperioris aut etiam utriusque eryſipelaceus exoritur, mox in tumorem ſat validum aſſurgens, qui firmior factus totam in palpebram diſpergitur.

§. 495.

Primo levis adeſt photophobia, pruritus palpebrarum et dacryoſtagia. Pruritus cum ruboris et tumoris augmento in dolorem tranſit magis magisque increſcentem. Rubor et tumor totam quoque palpebrarum conjunctivam occupantes magis magisque increſcunt, donec tandem pars ad enormem accreverit magnitudinem. Ectropium frequens nunc exoritur. Eodem tempore ſub tumoris in palpebris incremento etiam conjunctiva bulbi adficitur. Primo rubeſcit, deinde vero ſub celeri adfectionis incremento tumeſcere incipit, donec tandem valli rubicundi inſtar

ſupra corneam elevetur, eamque circumdet. Saepius vix corneae particula ob conjunctivam ſcleroticae ſic tumidam et ſupra corneam emergentem poterit dignoſci. Tali in caſu conjunctiva veſicae ſanguine refertae perſimilis extra palpebrarum prominet margines. Vehementiſſime ſimul rubet, et ſub tactu vel leviſſimo ſummi oriuntur dolores.

§. 496.

Tumore palpebrarum quam maxime aucto ſummus una adeſt dolor in oculi totius ambitu, qui deinde per totum caput extenditur et in ſenſibilioribus aegris delirium procreat. Aeger praetendit, ſe orbitam nimis parvam habere neque oculi adcommodatam magnitudini, qui preſſus ex illa quaſi prorumpere velit. Quod ſymptoma etiam adfectionem partium oculum in orbita circumdantium ſolet annuntiare. Non locale amplius adeſt malum, ſed febris cum vi vitali in toto ſyſtemate corporis irritabili aucta obſervatur. Photophobia tunc maxima aegrotus laborat, et mali ſymptomata non ſolum ophthalmitidi, verum etiam phrenitidi ſimilia videntur. Pulſus reperitur plenus, tenſus, durus, imo ſerratus, ſitis ingens adeſt, lingua ſiccior et muco albido obtecta, cutis rubore leviore tincta et ſicca. Sic primum decurrit hujus morbi ſtadium.

§. 497.

Alterum vero cum muci purulenti excretione incipit, qui ſerius citiusve a tumentibus palpebris ſecernitur. Flaveſcente gaudet colore, et vere venerei muci praeditus eſt natura, uti experimenta Beerii luculentius demonſtrarunt, ut igitur muco vere gonorrhaico ſit adnumerandus. Minori primum copia ex margine palpebrarum tantum per glandulas ſecernitur meibomianas. Mox vero multo majori copia prorumpit, non ſolum ex ſuperficie marginis, verum etiam ex tota palpebrarum conjunctiva illaque bulbi ipſius. Multitudine ipſius pedetentim aucta extra palpebrarum margines profluens, omnem interdum gena-

rum ſuperficiem inundat. Cum hacce frequenti muci ſecretione ſimul paullulum dolores oculi et capitis imminuuntur, et febris una aegrotum adficientis impetus decreſcit.

§. 498.

Cui muci ſecretioni incerto temporis ſpatio ipſa corneae obſcuratio adjungitur. Modo paucis poſt primam muci ſecretionem horis, modo etiam in homine minus ad inflammationem proclivi oculoque ſaniore praedito aliquot diebus demum praeterlapſis hujus ſymptomatis tristiſſimi obſervamus originem. Cornea, uti nos omnes ſcimus, compoſita eſt ex laminis, quarum interna ſuperficies lympha tenui et aquoſa tecta cernitur. Loco hujus lymphae tenuioris et pellucidae mucus nunc ſecernitur purulentus atque ejusdem naturae, cujus eſt in externa conjunctivae ſuperficie. Una et conjunctiva corneae inflammatione correpta ſimili modo mucum flaveſcentem excernit. Vides hinc deſcriptionem ſymptomatis hoc in morbo inprimis funeſti, quod organon ad viſum perneceſſarium adficit, et ſtructuram ejus plerumque ſic immutat, ut in perpetuum ad viſus functionem fiat inutile.

§. 499.

Haecce obſcuratio primo parva et ex parte facta plerumque celeriter augetur, ut vel aliquot horis praeterlapſis cornea veſicae perſimilis ſit pure refertae. Craſſitudo corneae una ex pure intra laminas ipſius effuſo augeri videtur, — quamvis hoc non re vera locum habeat, ſed tantummodo laminarum diſtentio ex pure facta conſpiciatur. Hinc illam bis, imo tertia, quartave vice ophthalmiatri auctam viderunt.

§. 500.

Secretio illa muci purulenti, quamvis non in ulcere, ſed in membranis mucoſis locum habeat, tamen effectus exulcerationis edit per puris generationem productae. Etenim laminae

exteriores corneae in uno, alterove ipſius margine exeduntur, ibique ulcus quoddam conſpicitur circulare, in cujus ambitu laminae corroſae in cornea diſtincte conſpiciuntur. Ex qua ſuperficie ulceroſa pus magna copia effunditur. Mox etiam laminae interiores corneae corroduntur, et iris per foramen ſic apertum aqueo humore ex parte amiſſo procidit. Cum vero ulcera in pluribus corneae locis una fere penetrare ſoleant, etiam plures ejusmodi iridis prolapſiones locum habere debent, annuli ſub forma mediam corneae partem circumdantes.

§. 501.

In media corneae parte quidem perſpicua quaedam relinquitur regio, per quam lens nondum obſcurata diſtingui et cujus ope per breve temporis ſpatium aegrotus objecta majora diſtinguere poteſt, pure inter corneae laminas haerente ex parte ſaltem per ulcera amiſſo. Sed hae miſerae viſus reliquiae etiam brevi tempore pereunt, cum lentis capſula rumpatur, eaque rupta lens cum parte humoris vitrei vel majore vel minore per corneae ulcera prodeat.

§. 502.

Quibus peractis et viſu ſic deſtructo morbi phaenomena quaſi in progreſſu ſuo ſanantur, et in oculi reliquiis inflammatio evaneſcit. Media corneae ulcera ſanantur, variae iridis prolapſiones cum ipſa concreſcunt, et cornea ulceribus ſanatis in cicatricem abit planam et albido colore inſtructam, ſplendentem, ſtriisque brunis et caeruleatis tinctam. Aut prolapſione iridis non regrediente, ſed amplius prominente ſtaphyloma remanet racemoſum. Utroque in caſu viſus penitus erit ſublatus.

§. 503.

Nunc ad prognoſin ophthalmiae gonorrhaicae transgrediendum erit, quae ſemper fere triſtior et pejor eſt ob oculum gravibus periculis expoſitum. Melior prognoſis erit, ſi non ex

gonorrhoea ſuppreſſa, ſed ex ſolo oculi tactu per partes muco gonorrhaico infectas morbus originem contraxit. Eadem praedicere valet medicus, quando ſub initio morbi eſt accerſitus, et primum modo extat morbi initium, nec cornea a muci purulenti excretione eſt adfecta et omnino nondum talis muci ſecretio in oculo incepit. Prognoſis porro magis fauſta adeſt, ſi medicus ſub initio mali accerſitus gonorrhoeam ſuppreſſam citius poterat revocare, praeſertim muci ſecretione in oculo nondum incepta. Etenim citius tunc ophthalmia ſanatur.

§. 504.

Pejora vero praedicenda erunt, ſi gonorrhoea ſuppreſſa in homine vegeto, robuſto ſtrictisque fibris praedito repentinam exhibuerit inflammationis oculorum cauſam, ſi medicus in ſecundo demum ejus ſtadio accerſitus muci purulenti ſecretionem invenerit ſatis vehementem, oculi corneam jam ab ipſa correptam, aut adeo jam exulceratam et ſi gonorrhoea ſuppreſſa neutiquam poſſit revocari. In quibus omnibus, praeſertim ſi poſtremo allata locum habuerint, peſſima tantum praedicere valet medicus, et aegrotus de certa viſus amiſſione in oculo adfecto quam primum certior erit faciendus.

§. 505.

Cura mali triplici omnino nititur indicatione, ſi recte et tuto medicus illud curare velit. Prima indicatio poſita eſt in ſecretionis ſuppreſſae, quae morbum pepererat, reſtitutione, aut, ſi ex ſola infectione malum pendebat, in cautione recte adhibita, quominus ex ſuborta oculi gonorrhoea illa genitalium ſupprimatur. Altera indicatio univerſalem corporis morbum ex gonorrhoea ſubortum ſanare jubet. Tertia denique curam gerit topicam oculi adfecti, ſecundum ſtadia inflammationis quibus illam medicus accerſitus continuatam invenerit.

§. 506.

Restitutio gonorrhoeae suppressae primum et maxime necessarium erit remedium ad hujus mali sanationem. Aptissime et ratione maxime secura nova gonorrhoeae per mucum venereum insitione per cereolum, quem genorrhaicus in urethra gesserat, facta hoc peragitur. Plurimi aegrorum, ab hacce methodo abhorrentes, cereolum admittere nolunt. Si vero medicus ulla ratione eos huc adducere possit, ut novam admittant infectionem, — optime res erit peracta, cum methodi sequentes saepius medicorum fallant expectationem et cum non tam cito saltem gonorrhoea per ipsas provocetur, id quod in hocce oculi morbo magnum parare potest detrimentum.

§. 507.

Si vero medicus cogatur gonorrhoeam suppressam ulla alia ratione revocare, varia huncce in usum suaserunt. Cereoli immissio mercurio praecipitato rubro conspersi, aut solutione mercurii sublimati corrosivi vel lapidis infernalis in aqua facta tincti hanc ob causam praesertium commendatur. Si per aliquod horas in urethra jacuit, exinde oritur dolor, tumor et inflammatio illius partis, mucique crebra secretio, qua suborta gonorrhoea oculi et reliqua ejus symptomata imminuuntur. Praeterea hanc ob causam injectiones calidiores in urethram factae, balnea, crurum atque genitalium praesertim fomenta calida ex pulmento cum herba Cicutae et Hyosciami mixto facta et perinaeo imposita, lavacra vaporosa, clysmata crebra emollientia et cucurbitulae siccae perinaeo admotae de meliori nota commendantur. Haecce omnia exhibeantur gonorrhoea suppressa, donec illa feliciter redierit.

§. 508.

Sed aliud extat gonorrhoeae oculi genus, jam supra laudatum, quod in homine gonorrhoea adfecto per infectionem oculi contagii ope exoritur, gonorrhaea vero et integra manente. Tunc

quidem ſuppreſſa gonorrhaea non revocanda erit, tamen quaedam ipſius ratio habenda. Etenim timendum erit, ne ex nimia oculi inflammatione et muci gonorrhaici ibidem ſecretione gonorrhoea vera per conſenſum niſi opprimatur, paullulum tamen imminuatur, non ſine ingenti oculi adſecti noxa. Qua de cauſa prudentis medici erit, injectionibus emollientibus et leviter incitantibus fluxum gonorrhoeae ophthalmia adhuc continuata ſuſtentare magisque promovere, quod oculo alias integro minime factum fuiſſet.

§. 509.

Qua ratione prima indicatio eſſet expleta, qua neglecta reliquae neutiquam cum felici ſucceſſu erunt peragendae. Morbi univerſalis ex gonorrhoea ſanatio alterum erit, quod medicus reſpiciat neceſſe eſt.

Plerumque ſtatum incitatum totius corporis, aut adeo febrem vere ſthenicam videmus. Tali in caſu ſecundum aegroti corporis rationem erit agendum.

§. 510.

In homine robuſto, vegeto, ſyſtemati irritabili admodum valido gaudente et pulſu vere inflammatorio urgente licet apparatum adhibere mere antiphlogiſticum. Venaeſectio una alterave ſat larga atque ſanguinis evacuationes topicae per hirudines et conjunctivae tumentis inciſiones factae locum habeant. Interne ſimul aegrotus ſolutionem ſalitam cum pulpa aut oxymelle capiat. Victu ſimul utatur tenui et aquoſo, in lecto decumbat ſtragulis levioribus obtectus et in cubiculo detineatur modice obſcurato. Quae omnia adhibenda erunt, donec immutata mali natura alia et medicamenta requirat.

§. 511.

Quando vero malum corripit aegrotum corpore minus robuſto et ſyſtemate irritabili non tam valido praeditum, cujus ſenſibile ſyſtema e contrario magis auctum fuit, quando homo go-

norrhaica laborare incipit ophthalmia, qui jam antea varia ratione debilitabatur, — in eo methodus alia ad febris univerſalis ſanationem requiretur. Morbus cum ſyſtematis ſenſibilis labe magis incedet, irritabile minus erit adfectum.

§. 512.

Hinc ſanguinis evacuationes, univerſales praeſertim, penitus omittendae. Locales tantummodo adhibeantur. Aegroto porrigatur decoctum mucilaginoſum, cum acido quodam mixtum. Senſibilitas aucta una uſum poſcit ſedativorum. Inde opii utilitas apparebit, cum calomel juncti. Omni trihorio ejusmodi aegris exhibeatur gr. j. Calomel cum gran. $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ Opii puri. Mercurium et in febre vere ſthenica prioris generis ſumma cum utilitate medicus poterit exhibere. Sed ſine opio. Evacuationibus ſanguinis praegreſſis praecipue utile erit in iſto caſu mercurii dulcis uſus, cum ipſo ſyſtema vaſorum abſorbens majorem ad actionem ducatur, cujus ope nimia tollitur arteriarum in locum inflammatum actio, et ſic inflammationis promovetur diſcuſſio.

§. 513.

Denique ſub finem morbi ex ſtatu aegroti univerſali medicus dijudicabit, utrum amplius debilitantia exhibeat, an non, utrum roborantibus, victu lautiore, volatilibus aeger indigeat. Praeſertim hoc locum habebit morbo ad ophthalmoblennorrhoeam magis accedente. Aegrotus tamen ſemper ab uſu eorum abſtineat, quae ſyſtematis irritabilis actionem nimium adaugent, ab infuſis aromaticis, a camphora, et opio interne ſumto. Etenim timendum eſſet, ne inflammationis fervor ipſis citius revocaretur.

§. 514.

Haec de ſanatione morbi univerſalis a locali producti. Nunc ad ea me converto, quae ad oculi ipſius ſanationem ordinanda erunt. Primo, praeter evacuationem ſanguinis localem jam ſupra deſcriptam exhibeatur aqua ophthalmica cum Laudano et mucila-

gine parata, ut oculi ſenſibilitas, perpetuus ophthalmiae comes, hac ratione imminuatur, et ſic ſecundum morbi ſtadium, cum muci incipiens ſecretione, minus periculoſum provocetur. Cujus aquae ophthalmicae ope una materia gonorrhaica, quando jam ſecreta genas inundat et inter palpebras haeret, ſedulo eluatur. Olim fomentum ex mica panis aut farina cum lacte et croco ad doloris deminutionem oculis adplicarunt. Verum enim vero celeriter tempus praeterit, quo hac in ophthalmia emollientia opem ferunt, — et ex abuſu ipſorum ſemper ſummam in ophthalmiis noxam obſervarunt. Itaque ad conſilium modo laudatum penitus et tuto exſequendum aqua ophthalmica cum Laudano et mucilagine parata ſufficiet. Muci ſecretione vehementi una ſemel vel bis quotidie Laudanum purum penicilli ope in oculum ingeratur.

§. 515.

Quibus omnibus recte exhibitis, reſtituto gonorrhaico in urethra fluxu, morboque univerſali caute curato, et oculi inflammatione recte tractata, muci ſecretio in oculo pedetentim imminuitur, tumor conjunctivae evaneſcere incipit, et ulcera certis corneae locis, ſi adfuerint, a pure ipſis inhaerente magis magisque liberantur. Loco muci ſpiſſioris primum tenuior, deinde vero ſecum purum idque pauciſſimum emittitur. Conjunctiva oculi ad ſanum fere rediit ſtatum, exceptis vaſis numeroſis undique in ipſa ſanguine rubicundo refertis.

§. 516.

Nunc ad aliam tranſire licet curam oculi localem. Aqua ophthalmica cum Laudano removeatur, et ejus loco ſolutio exhibeatur lapidis divini. Laudanum purum non amplius illinatur, ſed ſacculi diſcutientes aromatici oculo imponantur. Quorum uſu mox omnis evaneſcit bulbi morbus. Debilitas tamen quaedam ipſius remanet, longa demum cura amovenda. Aegrotus per aliquod temporis ſpatium tegmen portet viride, abſtineat a longo et continuato oculi uſu, abſtineat ab ejus uſu tempore crepus-

culi atque in lumine ſplendente. Vitet celerem ex tenebris in lumen et ex lumine in tenebras tranſitum, vitet refrigerationem, membranas oculi mucoſas ſemper nimium quantum adficientem.

Saepius etiam ex ophthalmia gonorrhaica feliciter ſanata remanet iridis prolapſus per ulcus corneae aut ejus etiam cum cornea concretio ſive ex parte ſive ex toto facta, de quibus jam ſupra verba feciſſe nos recordamur.

§. 517.

Beerius uno in loco ſcriptorum ſuorum [1]) genus conſtituit ophthalmoblennorrhoeae gonorrhaicae chronicum. Vidi illud. Locum habebat in hominibus per venerem et antiſyphiliticorum abuſum emaciatis atque debilitatis. Sed non magnopere differebat ab ſimplici ophthalmoblennorrhoea, cujus jam ſupra mentionem injeci. Ideoque uberiorem hujusmodi deſcriptionem, ipſa jam propoſita, penitus nunc praetermittam.

§. 518.

Ad ophthalmiam nunc tranſeo in hominibus lue ſyphilitica adfectis locum habentem, quae ſine membranae mucoſae adfectione omnia luis in toto corpore ſymptomata in oculo exhibet. Vitia reproductionis primum atque vere genuinum ſymptoma habemus, quod luis praeſentiam in toto corpore et ſimul in oculo indicat.

§. 519.

Cauſa mali praecedit ſemper in oculum agens, ibique oculi inflammationem efficiendo conſpicua redditur. Primo igitur ſymptomata adſunt ophthalmiae rheumaticae aut catarrhalis, aut travmaticae, c. q. ſ. a. — Verum enim vero quodam temporis ſpatio vel majore vel minore praeterlapſo ſymptomata ad ophthal-

[1]) *Beer Auswahl aus dem Tagebuch eines praktiſchen Augenarztes* p. 6 ſqq. — Wien, 1800, 4to.

miam accedunt, quae ſyphiliticum ipſius characterem produnt. Quae nunc ſingula ad diagnoſeos cognitionem proponenda erunt.

§. 520.

Iris inprimis in ophthalmia ſyphilitica adfectum eſt organon. Hinc prima ejus ſymptomata ibi diſcernuntur. Primo interior ipſius margo, quod colorem attinet, immutatur. In oculo caeruleo aut glauco viridis, — in oculo badio aut nigro rubicundior redditur. Simul exſudationes lymphaticae partem modo laudatam incipiunt occupare. Margo pupillaris craſſior fit, lymphae coagulabilis fibrae undique partem hancce obtegere incipiunt, et hinc ſymptoma oritur ophthalmiae ſyphiliticae pathognomonicum, — cum margo fiat inaequalis et quaſi in cameram poſteriorem retroflectatur.

§. 521.

Simul pupilla paullulum verſus angulum internum et ſuperirem diſtrahitur. Cum cauſa ejusmodi diſtractionum ſemper in nervis ciliaribus poſita videatur, etiam in ophthalmia ſyphilitica tale quid locum habere poteſt. Sed cur hoc fiat, nondum ſatis potuit explicari.

§. 522.

Lymphae exſudationes totam nunc iridis ſuperficiem ſub mali incremento et ſub doloris, paullo poſt deſcribendi, acceſſione repetita obtegere incipiunt. Diſtincte obſervamus tranſitum filamentorum ex iride in cameram poſteriorem. Tandem lymphaticae concretiones ad lentis capſulam usque extenduntur, eamque ſimili modo obſcurare incipiunt. Una ex marginis interni latere uno ad alterum extenduntur, inter ſe concreſcunt, et ſic ſub finem mali conpletam formant pupillae naturalis atreſiam.

§. 523.

Simul et reliqua pars iridis ſimili adfectione corripitur. In

margine exteriore et in ſuperficie ejus interiore paullo poſt apparent eminentiae exiguae rubicundiores, ex ſolis excreſcentiis lymphaticis compoſitae. Magis magisque volumen ipſarum ſub mali augmento accreſcit, eodem ſemper colore ipſis proprio et tandem ſubſtantia ipſarum granulorum inſtar diſtincte obſervatur. Si morbus negligitur vel minus recte curatur, ad talem ſaepius accreſcunt haecce condylomata, uti Beerius ipſa vocat, magnitudinem, ut omnem expleant camerae anterioris ambitum, adeoque tandem chirurgica indigeant manu, ſi ipſa amovere velis.

§. 524.

Similes exſudationes locum habent in ſuperficie iridis poſteriore. Concreſcit ipſarum opere tota vel camera poſterior. Earum praeſentia cognoſcitur praeſertim ab immutatione marginis majoris et ſuperficiei anterioris in iride. Si malum non amplius in margine interiori ſolo haeret et exterior et utraque ſuperficies iridis ſimul corripiuntur.

§. 525.

Talis erit ſemper decurſus ſymptomatum ab ophthalmia ſyphilitica in iride productorum. Nunc ad immutationes tranſeo, quae malum in cornea et in humore aqueo producit.

Cornea leviter ſub ipſo mali initio, aut adeo ante illud, ante doloris acceſſus et ante immutationem marginis interioris in iride obſcuratur. Ipſa obſcuratio ſingularis eſt, et ab omni alia corneae adfectione facile diſtinguenda. Tota membrana vitro ſimilis eſt ſordido, viridiuſculo et quaſi ſicciore pulvere conſperſo. Num craſſitudo ipſius augeatur, nondum certis argumentis definitum habemus.

§. 526.

Humor aqueus eodem tempore morbo adficitur. Paullatim pellucidus eſſe deſinit. Cauſa ſine dubio nititur in adfectione ſyphilitica organorum humorem aqueum parantium, quae ipſum

non amplius aeque pellucidum ſecernunt. Obſcuratio corneae hacce morboſa humoris aquei adfectione una augetur. Hinc lis exorta fuit, utrum corneae an humori aqueo obſcurationis iſtius ſedes ſit aſſignanda. Verum enim vero Beerii experimentum huic liti finem impoſuit. Levi corneae in homine ophthalmia ſyphilitica laborante inciſione facta humorem aqueum emiſit. Obſcuratio paullulum eſt imminuta, ſed non penitus ceſſabat. Hinc concludendum erit, et humorem aqueum et corneam una ſedem obſcurationis inde continere. — Inde etiam pupillam ipſam ejusque margines non diſtincte adſpicere licet, aegrique omnia ipſis oppoſita nebula quadam tecta obſervant.

§. 527.

Sub morbi augmento etiam ulcera corneae venerea oriuntur, quae vero etiam charactere quodam ſingulari diſtincta ope ipſius et ſymptomatum concomitantium facilius ab omni alio corneae ulcere dignoscuntur. Etenim non foveam exhibent infundibulo ſimilem, et ichore aut pure refertam, — ſed ulcera oblonga ſunt, impari profunditate praedita et laeſioni in oculo maxime ſimilia, quando hamuli ope particula corneae fuerat exſciſſa. Sub morbi augmento etiam magis magisque accreſcunt, donec tandem penetrando effluxum humoris aquei et iridis prolapſionem efficiant.

§. 528.

Aliud ſummum atque certiſſimum ſignum, quo diagnoſis ophthalmiae ſyphiliticae facilior redditur, in dolore eam comitante eſt poſitum. Non faciem, nec oculum, ſed tantummodo regionem oſſis frontis ſupraorbitalem occupat. Interdiu penitus fere abeſt. Veſperi hora ſexta ad octavam usque ſuboritur, magis magisque augetur, calore lecti praeſertim increſcit, et tanto ſaepe furore aegrotos occupare ſolet, ut interdum delirare incipiant. Media noctis parte praeterlapſa demum imminuitur, donec matutino tempore evaneſcat, atque aegroti placidum capere poſſunt ſomnum.

Cum quolibet hujus doloris nocturni acceſſu reliqua morbi ſymptomata augentur, increſcunt exſudationes praeſertim lymphaticae circa iridis margines et ſuperficiem et imminutio aut exstinctio doloris etiam reliquam comitatur mali ſanationem.

§. 529.

Rubor oculi porro ab illo reliquarum oculi inflammationum longe diverſus obſervatur. Quando ex catarrhali malum ſubortum fuit, uti plerumque obſervamus, rubor conjunctivae augetur, circa corneae praeſertim margines. Sclerotica roſea eſſe videtur, ſupra ipſam decurrunt vaſa conjunctivae ſanguine referta. Concurſus vaſorum ſanguiferorum ad corneam tantopere augetur, ut circulum ſatis rubentem efforment, qui interdum in corneam ipſam vaſa minora emittit. Sub ophthalmiae ſyphiliticae ſanatione pedetentim etiam circulus iſte rubicundus circa corneam imminuitur, donec tandem reliqui oculi rubore jam penitus extincto ſub forma circuli caerulei per aliquod temporis ſpatium remaneat. Deinde quamquam etiam evaneſcit, redit tamen per aliquod temporis ſpatium, ſi lacrimatione, terſione aut ullo alio modo oculi fuerint paullulum incitati.

§. 530.

Doloris nocturni praeſentia etiam photophobiam et dacryoſtagiam conſtituit praeſentem. Etenim vel illam comitantur, vel antecedunt, atque deinde una adſunt. Dacryoſtagia ſemper vehemens et fluidum acre ſpargens obſervatur. Attamen ſolae glandulae lacrymales adfectae eſſe videntur, non autem organa mucum ſecernentia. Etenim ſolae eaeque puriores lacrymae nec muco mixtae effluunt. — Quod porro photophobiam attinet, illa diverſa erit ſecundum variam ſenſibilitatis in aegroto magnitudinem et ſecundum adfectionem retinae per inflammationem ortam. Attamen ſummus photophobiae gradus etiam ſummum dolorem nocturnum comitatur.

§. 531.

Quae ſunt ophthalmiae ſyphiliticae ſymptomata, quae attente

obſervata neminem medicorum de natura morbi, ad cujus ſanationem provocatus eſt, incertum relinquent. Saepius tamen viri alias periti veram hujus mali naturam dignoſcere nequiverunt, et hominis aegri coecitas ophthalmiae ſic male tractatae debuit originem.

Prognoſis enim in ophthalmia ſyphilitica eſt multo laetior, quam in multis aliis oculi inflammati affectionibus, et tunc demum minus fauſta erit, ſi malum fuerit neglectum et male tractatum. Fauſta prognoſis optima quaeque ſperare jubet, ſi medicus in primo morbi initio accerſitur, rectamque adhibens curam exſudationes iſtas lymphaticas in iride una cum dolore nocturno ipſarum originem comitante opprimere valet, — ſi homo per ſe vegetus, non ſaepius lue laborans, non ſtatum iſtum morboſum fuerat adeptus, qui crebrum ſequitur antiſyphiliticorum uſum, — et ſi commixtio cum arthritica deeſt, ophthalmia, cujus in ſequentibus, in capite de ophthalmia arthritica mentio injicietur.

§. 532.

Minus fauſta prognoſis locum habebit, ſi morbus initio ab aegroto fuit neglectus aut a medico inepte tractatus, ut adeo ſymptomata ipſius celeri greſſu aucta jam concretionem iridis cum capſula, poſterioris obſcurationem et iridis atreſiam indicent ſubortam. Cura porro morbi difficilis et ejus ſanatio ambigua erit, ſi aegrotus nimio medicaminum antiſyphiliticorum uſu debilitatus curam mali efficit paullo tardiorem. Etenim tunc effectus remedii nimis tardus erit contra celerem morbi progreſſum et ſub methodo adoptata vel morbus coecitatem parare poterit. — Morbus denique gravis, imo fere inſanabilis erit in commixtione mali cum ophthalmia arthritica. Cura omnino difficilior atque prognoſis dubia erit, ſi medicus tunc demum advocatur, dum exſudationes in oculo lymphaticae admodum auctae fuerunt. Etenim vel tempus ipſi deerit ad ſupprimendum ulteriorem mali progreſſum, qui vel proximo doloris acceſſu et proxima nocte coecitatem inſanabilem parare poteſt.

§. 533.

Cura ophthalmiae ſyphiliticae duplex, et univerſalis et localis inſtituatur, ſi propoſitum attingere ſcopum volumus. Localis ſola non ſufficeret, etenim fomes mali francogallici adhuc remanens ophthalmiam ſic foveret, ut illam ſupprimere plane non poſſes, utque vel oppreſſa majori cum vi et celeritate rediret. Univerſalis autem eadem ratione non ad oculum ſanandum ſufficeret. Sub uſu interno remediorum contra luem neceſſario oculus aliquot dierum ſpatio periret, cum nimis diuturnus ipſorum uſus ſit neceſſarius, quam ut aliquid de ipſis ſolis ſperari poſſit in ſanando oculi morbo. Erga utraque juncta ſint, ſi homo certum ſanationis attingere velit ſcopum.

§. 534.

Localis cura hoc modo inſtituatur. Ex unguento ſequenti tantum, quantum piſi magnitudinem refert, bis quotidie, hora nempe pomeridiana prima et veſperi ſub doloris initium regioni ſupraorbitali inungatur. ℞. Unguent. neapolitan. ʒij, Opii pur. ℈β. M. — Jam prima frictione hocce unguento facta dolor nocturnus admodum imminuetur, non ſine ingenti hominis levamine et repetita inunctio iſtum penitus avertet.

§. 535.

Sola unguenti neapolitani inunctio neutiquam ſufficeret, uti experimenta eam ob cauſam facta luculentius demonſtrarunt. Saltem longo tantum temporis ſpatio opus eſſe videtur. Sed cum opio junctum in oculo citum edit effectum. Opii ſolius inunctio etiam nullam fert opem. Nam dolores per breve temporis ſpatium ſedati mox multo majore redeunt vehementia, et decurſus morbi fit multo celerior. Utrumque medicamen eſto conjunctum, ſi aegrum curare velis.

§. 536.

Quamvis ophthalmia ſyphilitica aquas ophthalmicas et un-

guenta, si sola adhibeantur, non ferat, tamen si cura localis antisyphilitica una impenditur, insigni gaudent effectu. Si inflammatio levior marginis palpebrarum cum flagrante doloris pruritu adest, conducet solutio Sublimati tenuior cum Laudano parata. Omni bihorio oculus sic adfectus aqua tali erit lavandus.

§. 537.

Fluxu lacrimarum vehementiori simul continuato et inflammatione palpebrarum adhuc satis vehementi poterit non sine utilitate una adhiberi calor aromaticus. Sacculi discutientes ex aromatibus cum camphora parati, uti experientia edoctus intellexi, summam hoc in casu praebent utilitatem. Imprimis adhibeantur si dolores nocturni et reliqua syphilitidis in oculo symptomata jam evanuerunt, status tamen in ipso restat chronice inflammatorius.

§. 538.

Interdum, uti jam supra monuimus, sub ipso morbi decursu etiam ulcera corneae syphilitica oriuntur. Credo haecce in scrophulosis praesertim locum habere, ubi phlyctaenulae, uti in ophthalmia scrophulosa, in superficie corneae exsurgunt, atque dein ruptae ulceribus occasionem praebent, venerei morbi signa admittentibus. Beerius talibus in casibus praescribebat solutionem Sublimati cum Laudano et solutione lapidis divini pari quantitate inter se mixtam. Ejusmodi casum nondum vidi, nec propterea de effectu mixti talis medicamenti certum ferre judicium valeo.

§. 539.

Haec de cura ophthalmiae locali. Sed irrita essent haecce, nisi etiam communi totius corporis cura morbus gallicus sanaretur.

In recta hujus luis sanatione prae caeteris attentus sit medicus, num aeger jam per longum temporis spatium morbo la-

boraverit, num faepius jam mercurialia acceperit, et quaenam ipfi fint exhibita, num ptyalismum fit perpeffus, et quae funt alia. In morbo diuturno etiam cura erit longiore et cum majore cautione opus, mercurialia exhibeantur gradatim fortiora et cum balneo et volatilibus juncta, — in homine jam mercurialium ufu exhaufto adhibeantur balneum et roborantia medicamina et mercuriale femper illo diverfum, quod jam pridem acceperat, et fi praefertim fymptomata incipientis aut perfecti ptyalismi adfuerint, parca incipiatur mercurii dofi, quae gradatim tantummodo et caute erit augenda.

§. 540.

In homine antea nondum lue adfecto interne exhibeas bis quotidie gr. β mercurii folubilis Hahnemanni cum gr. $\frac{1}{4}$ Opii. Optime datur fub forma pulveris cum faccharo. Etenim experientia me docuit, fub trituratione maffae pillullaris mercurium folubilem ex parte ex oxydum in mercurium mutari vivum, et medicamentum exinde nos habere effectu penitus fere deftitutum. — Pedetentim dofis ipfius augeatur ad gran. $\frac{3}{4}$ — j. Quater per feptimanam fimul aegrotus balneum ingrediatur, refrigerationem una diligenter vitet, corpus denique moveat in aëre calido et puriori, donec fudor ex corpore emittatur; et diaeta lautiori utatur, bene nutriente et fimul facile digerenda, cum vino quodam generofo.

§. 541.

Cum omnibus hisce pergat, donec fymptomata incipientis in ore ptyalismi apparuerint. Tunc ftatim mercurius minima dofi exhibeatur, et femel fimul in die, et per aliquot dies ita pergendum, ut prima ptyalismi fymptomata minime augeantur. Ptyalismo et inde aucto penitus abftinendum erit ab oxydi, mercurialis ufu, ejusque loco pulveres dentur cum fulphure. Omnibus morbi phaenomenis tali modo extinctis, cortex atque extracta amara ad perfectam usque corporis conducent in in-

tegrum restitutionem. Simul balneo aegri utantur omni septimana repetito.

§. 542.

Mercurii sublimati usus tunc demum cum summa locum habebit utilitate, aegrum quando habueris saepius morbo correptum aut inveterato jam malo laborantem, qui simul fibrae laxitate atque corpore leucophlegmatico insignis reperitur, et qui nec organi nec systematis unius in corpore labe, nec diathesi ad scorbutum laborat. Remedium per se heroicum atque ingrato sapore praeditum optime in pillullis datur cum mica panis et saccharo paratis, quibus tamen opii quid erit addendum.

§. 543.

Haec sunt, quae de cura locali et universali syphilitidis in oculo monenda erant. Aegrotus praeterea oculum debilem sanato morbo caute tractet, abstineat a nimio ejus usu, a nocturno labore aut ab illo diluculi tempore suscepto, et caveat sibi a refrigeratione, donec pristinam virium copiam recuperaverit.

§. 544.

Addenda quaedam erunt circa curam morborum organicorum, qui ex ophthalmia syphilitica male tractata pendere solent. Sanato hocce malo saepius remanent exsudationes sive majores sive minores in margine pupillari ad lentis capsulam usque sese extendentes. Tunc unguentum mercuriale rubrum tali ratione adplicatum, uti istud contra maculas corneae exhibetur, aegrotum ab hocce malo liberabit. Absorptio exsudationum hac ratione promovetur, donec penitus vel ex parte pupilla liberata fuerit.

Simili modo macula corneae tractetur, ex ulcere ipsius venereo residua. Sed, uti jam supra persaepe adnotavimus, medicus ab unguento laudato abstineat, si ulla adhuc in maculis

iſtis exulceratio reſidua manſerit. Etenim reditus inflammationis cum viſus extinctione locum haberet.

§. 545.

Atreſia pupillae completa artificialis pupillae formationem requirit, — ſi nempe haecce ſecundum oculi ſtatum cum ſpe certa peragi poterit. De indicationibus ad iſtam videatur libellus meus [1], in quo omnia huc ſpectantia uberius expoſita fuerunt. Ante omnia autem monendum erit, in iis, qui atreſia pupillae ex ophthalmia ſyphilitica laborant, curam univerſalem coretotomiae operationi antecedere debere, cum pupilla artificialis vel optime formata in ſyphilitico ſemper denuo concreſcat.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

De Ophthalmia arthritica.

§. 546.

Quando in hominibus arthritide adfectis aut ſaltem diatheſi ad arthritidem praeditis oculi inflammatio exoritur et formam induit mox deſcribendam, ophthalmiam arthriticam adeſſe judicamus. Cujus diagnoſin, genera et formas varie complicatas deſcribere ſingulas in animo eſt paragraphorum ſequentium argumento.

§. 547.

Arthritis morbus debilitati et praeſertim aetate jam provecti hominis vitio quodam excretionum praeſertim cognoſcitur. Quales ſunt nimii pedum aut manuum ſudores, vel cum vel ſine

[1]) Libell. Auctoris, *De pupillae artificialis conformatione*, Lipſiae, 1810, 4.

locali dolore juncti, chiragra et podagra, calcaria concretio in ossium articulis orta, ulcera pedum, concretio calculosa in hoc vel illo corporis organo secernente, sanguinis fluxiones per alvum effusae, et quae sunt alia. Simili modo etiam oculo arthritide correpto secretio abnormis ibidem producitur. Caeterum in omnibus istis secretionibus arthriticis vitium quoddam mixtionis observamus, quod quidem tantummodo in humoribus jam excretis locum habet, verum tamen partes corporis jam debilitati ad talem saltem mixtionis depravationem pronas extitisse aperte declarat.

§. 548.

Cura arthritidis multo gravior est cum omni alio morbo, cum causa ejus profundius lateat, et cum in intimis quasi haereat corporis humani penetralibus. Attamen medici paullo negligentius morbi hujus depellendi curam suscepisse videntur, qui tantummodo antarthriticis, ut vulgo vocantur, medicamentis morbi impetum compescere studuerunt, sed veram morbi causam amovere noluerunt. Quando impetu certis temporum intervallis repetito morbus exoritur, exspectato talis impetus fine, si corporis aegroti status permiserit, aquae tepidae, vel etiam alcali minerali mixtae aut sulphuratae lavationem aegro pares. Continuato istius balnei usu vitia excretionum mox a cute suscepta, cujus exspiratio lavacro aucta est, finem habebunt. Interne nunc praeter diaetam bene compositam et ordinatam, praeter summam animi quietem, corporis motum repetitum et magis magisque auctum, et cutis triturationem panno laneo quotidie peragendam, — per longum temporis spatium remedia exhibeas leniter roborantia et amara, quibus tamen salis quid addatur, ne alvus fiat stipata, et damnum inde redundet, quod ex pulveris istius Portlandici usu in organis abdominalibus observare licebat. Quibus omnibus debilitas ista in digestionis organis, summa ista arthritidis causarum pedetentim amovebitur.

§. 549.

Praeterea ſingularum etiam partium affectionum ratio erit habenda. Concretionibus in articulis oſſium jam ſubortis, continuato uſu vaporis ex aqua fervente diffuſi cures, ut pedetentim ipſae abſorbeantur. Ulcera pedum ſub balnei univerſalis uſu leniter adſtringente et incitante medicamento certis in locis curentur, omnibus unguentis et emplaſtris emollientibus remotis. Infuſum corticis ulmi aut quercus plus minusve dilutum cum pauxillo Opii huic conſilio prae caeteris ſatisfaciet. Haemorrhoides, quando re vera arthriticae ſunt originis, mox balnei et roborantium uſu deficient, curamque eandem, uti arthritis ipſa, expoſcunt. Dolores vagi in corpore ante omnia requirunt ſtrenuum antiarthriticorum uſum, praeſertim Aconiti cum Guajaco et volatilibus mixti. Iis demum ſuppreſſis aeger ad roborantium tranſeat uſum.

§. 550.

Quibus omnibus de cura arthritidis in univerſum dictis ad oculi arthritidem ſeu ophthalmiam arthriticam nos convertamus. Sicuti arthritis longam et aſſiduam curam et variorum medicamentorum uſum requirit, ut vere ſanari poſſit, ita etiam oculus particula corporis tenerrima arthritide correptus diuturnam poſcit curam, et imprimis vitium ſecretionis in ipſo jam ſubortum non facile opprimere ſinit. Vides inde, quam gravis et interdum ſine ullo felici ſucceſſu ſit ophthalmiae arthriticae cura, inprimis ſi jam in interno oculi cavo ſecretionis vitium ſub forma glaucomatis ſeu ſynchyſeos ſeſe exeruerit, ad quod amovendum ſemper fruſtra a medico auxilium fertur.

§. 551.

Variae omnino et magis minusve periculoſae ſunt morbi ſpecies, ſub quibus ophthalmia arthritica oculum adficere ſolet. Maxima ex parte chronica et longa et gravi cura medicum vel

dexterrimum defatigat. De acutiſſimo illius morbi genere, ſeu de ophthalmoblennorrhoea arthritica primo dicendum erit.

§. 552.

Ophthalmoblennorrhoea arthritica nititur, uti reliqua ophthalmoblennorrhoeae genera in vehementiſſima externarum oculi partium, palpebrarum, conjunctivae et corneae inflammatione, cum inſigni muci purulenti excretione in iisdem partibus conſpicua, et ulceribus corneae, quae mox illam penetrantes, prolapſionem iridis, adeoque lentis profluvium accelerant, et ſic relictis excreſcentiis in cornea ſtaphylomatoſis et corneae cicatricibus hominem obcoecant. Suboritur vero ſemper ab excretione arthritica alio in corporis loco ſuppreſſa, v. g. podagra frigida pedum lavatione aut ullo alio refrigerio, aut adſtringentibus vel ſaturninis oppreſſa, aut ulcere pedis citius ſanato. Cum podagra ipſum plerumque vegetum adhuc corpus atque ad morbos inflammatorios magis pronum ſoleat occupare, inde intelligimus, cum etiam inflammatio oculi a podagra ſuppreſſa multo ſit vehementior atque celerius obcoecare ſoleat, quam ulla alia, quae a ſuppreſſa excretione arthritica ducit originem. Id quod etiam experientia duce confirmatur.

§. 553.

Decurſus morbi talis fere cernitur. Paucis poſt podagram ſuppreſſam horis pruritus occupat margines palpebrarum, cum pallida ipſius oculi rubedine. Magis magisque increſcit malum, tumor primo in margine tantum conſpicuus mox omnem occupat palpebram, pruritus in dolorem flagrantem et lancinantem mutatur, et oculi bulbus a malo corripitur. Primo levis rubedo tingit ejus ſuperficiem, ex vaſis numeroſis in conjunctiva ſerpentibus, quae vero magis magisque intenſa una cum conjunctivae tumore augetur. Fluxus lacrymarum una adeſt acerrimus. Veſiculae ichore acri et flaveſcente refertae in margine palpebrarum et in interna ipſarum ſuperficie aſſurgunt, iisque ruptis vi-

cinae partes plus minusve arroſae inflammantur. Dolor ſummus et incertis temporibus vehementior totum occupat caput, ex palpebris et orbitae marginibus aſſurgens, totumque faciei latus, quo oculus eſt adfectus et deinde totum caput ad occiput usque corripit. Sic primum hujus morbi ſtadium percurritur.

§. 554.

Mox muci purulenti in palpebrarum ſuperficie ſecretio oritur, deinde ad ipſius bulbi conjunctivam ſeſe extendens. Ulcera exoriuntur pus ſecernentia primo in ipſius corneae margine, deinde etiam verſus mediam ipſius partem. Mox et hypopion cameram oculi utramque pure refertam oſtendit. Sed hoc rarius accidet in caſu per ſe jam raro, cum puris ſecretio magis in externis partibus locum habens interiora potius integra relinquat. In caſu infeliciori duplex omnino mali exitus animadvertitur. Sive exulcerationi corneae ſero tantum finis imponitur, ulcera jam penetrarunt omnem adeo corneae ſuperficiem obtegentia, iris per ulcera iſta prolapſa eſt, et ſanato malo vel ſtaphyloma racemoſum, vel adeo in uno alterove caſu ſtaphyloma totale, vel denique cornea in cicatricem ubique fere mutata remanebit. Sive puris ſecretio et in interno oculi cavo locum habens ſtructuram ejus ſic immutat, ut rupta cornea etiam partes oculi interiores ſuppuratione deſtruantur, oculus priorem amittat formam, et ſic phthiſi in oculo ſuborta pedetentim omne in orbita organon evaneſcat.

§. 555.

Prognoſis in ophthalmoblennorrhoea arthritica admodum incerta eſt et ambigua. Peſſima erit, quando medicus tunc demum aegrotum curae ſuae traditum videt, cum jam puris ſecretio et corneae exulceratio inceperint. Etenim in hocce mali genere ambo haec phaenomena multo majore celeritate procedunt, quam in ſimplici ophthalmoblennorrhoea, ut jam viginti quatuor horarum ſpatio ab initio ſecretionis abnormis jam cornea rupta,

lens prolapſa et oculus deſtructus eſſe poſſit. Melior erit prognoſis, quando ſimplex modo adeſt palpebrarum oculi inflammatio, aut ſaltem levi tantum rubedine tincta ſit ipſius bulbi conjunctiva. Pejor erit, ſi ex podagra ſuppreſſa, quam ſi ex ulcere pedis importune ſanato ortus ſit morbus. Nam priori in caſu malum multo majore celeritate ſtadia ſua percurrens, ſaepius irrita reddit omnia medici conamina. Prognoſis denique multo laetior locum habebit, ſi ſtatim in ipſo morbi initio licuerit morboſam ſecretionem, quae ſuppreſſa malum pepererat, revocare. Niſi jam oculi morbus tam vehementer accreverit, vel ſimplex haecce priſtinae ſecretionis reſtitutio ad oculi labem ſupprimendam ſufficiet.

§. 556.

Ad ſanationem ophthalmoblennorrhoeae arthriticae duplex indicatio erit explenda. Primum revocanda erit ſecretio arthritica incaute ſuppreſſa, deinde vero morbus oculi lege artis ſanandus.

§. 557.

Podagra ſuppreſſa ſinapiſmis fortioribus eo pedum loco, quem pridem occupabat adplicatis et lavacris pedum calidis ſimul adjunctis revocabitur. Similia in ſanatione nimis cita ulcerum in pedibus priſtinam revocabunt ſecretionem. Veſicatoria minus utilia erunt oculo jam admodum inflammato aegroque incitamentis facile commovendo, et univerſo jam corpore per topicum malum nimis adfecto. Topica haecce irritamenta continuo et larga manu admoveantur, quando utilitatem ex ipſis ſperare velis. Solus ipſorum uſus variis in caſibus morbum jam ſubortum citius opprimebat.

§. 558.

Quibus rite recteque adhibitis ad remedia in oculum topice agentia confugiendum erit. Reliqua ophthalmiae arthriticae

genera nunquam aquam, unguenta ſeu fomenta madida ſufferunt. Sed in hacce ob muci ſecretionem ejusque elutionem cum fructu medicus confugere poterit ad aquam ophthalmicam cum Laudano et mucilagine paratam, qua oculus ſaepius ſyphonis Auellianae ope purgetur. Praeterea adhibeas plantas aromaticas ſub forma ſacculorum diſcutientium oculis impoſitas — et tinctura opii ſemel vel bis quotidie penicilli ope oculum tingas adfectum.

§. 559.

Quando jam revulſum erit malum ſuppreſſum, remedia modo laudata omnem opem ferre poterunt, niſi malum jam nimis increverit. Sub uſu ipſorum mox ſecretio muci in ſeroſam tranſibit, tumor conjunctivae bulbi et palpebrarum magis magisque imminuetur, dolor capitis, faciei et oculi in dies decreſcet, et adfectio totius corporis ex inflammato oculo ſuborta paullatim peribit. Quae quidem, ſi adfuerit, ſecundum ſtatum morbi et corporis aegrotantis varie eſt tractanda. Pulſu pleno et duriore, uti ſub initium talis ophthalmiae, quando muco nondum ſecreto vera inflammatio adeſſe videtur, interdum obſervare licet, non antiphlogiſtica quidem fortiora, ſed decoctum quoddam mucilaginoſum aceto aut pauxillo ſpiritus vitrioli mixtum cum abſtinentia ab omni alio irritamento ſufficient. Altero vero ophthalmiae ſtadio jam incipiente, muci purulenti ſecretione jam locum habente, non amplius licet incitatum corporis imminuere ſtatum, cum plane nullus revera adſit. Itaque vel plane nihil praeter diaetam vires reficientem vel infuſum aromaticum aut amarum cum pauxillo liquoris anodyni aegroto exhibeatur, localibus remediis omnem curam abſolventibus. Symptomata morbum concomitantia, ſi periculoſiora fuerint, artis lege ſimul compeſcenda erunt.

§. 560.

Oculo jam eo usque ad ſtatum minus periculoſum redacto ut et muci purulenti ſecretio deſierit, ejusque loco modo ſerum

secernatur, si tumor conjunctivae sat imminutus levem tantummodo bulbi et palpebrarum rubedinem exhibeat, et si ulcera corneae admodum imminuta sint, — abstineat medicus ab usu aquae ophthalmicae cum Laudano, ejusque loco solutionem exhibeat lapidis divini. Sacculi discutientes sine camphora et cum herbis minus aromaticis adhibeantur, ut magis solo calore sicco circa oculum detento agere videantur. Localem praeterea dimittat medicus tincturae opii usum. Oculo sic ad sanitatem magis magisque reducto et remotis denique omnibus medicamentis topicis aeger caveat sibi a nimio hujus organi usu, illudque pedetentim modo aëri luminique exponat.

§. 561.

In senibus arthriticis interdum Blepharophthalmiam arthriticam vidi. Interior superficies cum margine palpebrarum pallide rubebat, conjunctiva bulbi ipsa laxa erat vasis numerosis atque pterygio incipiente obtecta, visus caeterum integer et nulla glaucomatis suspicio. Ardoris sensum jam aliquot abhinc mensibus accusabant modicum et continuum. Malum non arthriticis adnumerans, solutionem lapidis divini ipsis exhibui. Sed sine fructu, imo potius cum quodam mali augmento. Hinc inde attentior factus, et cognita arthritica morbi natura, a fluidis remediis abstinui, solosque sacculos discutientes imponere jussi. Quorum ope brevi temporis spatio, utut senium aegrotorum permittebat, oculorum sanitatem recuperarunt.

§. 562.

De ophthalmia arthritica proprie sic dicta nobis nunc erit dicendum. Malum istud, quod ipsam constituit, omnes simul occupat oculi partes, et externas et internas, et praeprimis hisce est infestum. Varia ratione suboritur. Partim alia ophthalmia, praesertim rheumatica antecedit, — aeger vero arthritide laborat, seu saltem diathesi ad huncce morbum. Qui rheumatica affectus est ophthalmia, praesertim si neglecta aut male

tractata fuerit, — mox arthriticae ophthalmiae prodit ſymptomata, et totus morbus brevi temporis ſpatio mere arthriticus evadit. De quibus omnibus, ſicuti de complicatione arthriticae ophthalmiae cum ſyphilitica paullo infra verba facere conabimur. Nunc de decurſu ophthalmiae ab initio mere arthriticae nobis erit dicendum.

§. 563.

Ophthalmiae vel ab initio mere arthriticae duplex exitus deprehenditur, quoad partem oculi interni plus minusve adfectam. Etenim modo corpus vitreum, modo iris magis effectum morbi perſentit. Utraque pars plus minusve adfecta, praeſertim in ſecundo morbi ſtadio differentiam ſymptomatum conſtituit, et duplex ophthalmiae arthriticae genus.

§. 564.

Aegrotus primo perſentiſcit ſenſum formicationis cum pruritu ingrato in regione ſuperciliorum et in conjunctiva bulbi et palpebrarum. Corpora aliena oculum ſub palpebris irritare ipſi videntur. Mox fluxus lacrymarum auctus una accedit, et formicatio tempore breviore vel longiore in dolorem tranſit mox totum oculum totamque orbitam occupantem. Dolor haeret inprimis in oſſibus, mox in totum oculi adfecti in facie latus, et per totum caput ad occiput usque extenditur. Sub initio morbi inprimis per longius temporis intervallum abeſt. Paullo poſt autem ille dolor diutius perſentitur. Nunc imminuitur, nunc augetur, praeſertim ſub celeri temperiei mutatione, ubi ad furorem aegroti usque accreſcit. Simili modo doloris augmentum perſentiſcit aegrotus ex calore lecti, — id quod medicum minus in diagnoſi ophthalmiarum exercitatum ſaepius in hunc errorem inducit, ut morbum pro ſyphilitico habeat, nec ſine ſummo aegroti damno remediis antiſyphiliticis utatur.

§. 565.

Dolor iſte, ſi morbus negligitur aut male tractatur, nocte dieque magis magisque increſcit, intervalla ipſius pedetentim imminuuntur, tandem continuus fit, donec ſuborto morbo oculi ſecundario, glaucomate, cataractaque viridi et atrophia oculi pedetentim cum ipſo oculo evaneſcat. Etenim tunc demum, niſi antea medicamentorum ope ſuppreſſus fuerit, cum ipſius oculi ſtructura atque forma dolor ceſſat. Caeterum, quo magis in morbi decurſu dolor increſcit, eo magis etiam effectus arthritidis in oculo infeliciſſimi apparent. Quare in ipſo morbi initio ſub cita doloris ſuppreſſione ſaepius etiam ſanationem morbi et oculi integram conſervationem licet obſervare. Prima igitur et exoptatiſſima indicatio in ophthalmia arthritica doloris ſemper erit ſuppreſſio.

§. 566.

Una cum doloribus dacryoſtagia et photophobia adſunt, — quae ambo ſymptomata morbi transgreſſum in partes oculi internas et ad retinam usque et ad telam celluloſam partesque bulbum quaſi inveſtientes adnuntiant. Lucis averſatio praeſertim in caſu graviori multo vehementior adeſt, et certum exhibet glaucomatis ſubſequentis ſignum.

§. 567.

Doloribus ſubortis etiam paullo poſt adparet externum inflammationis in oculo ſignum, rubedo ipſius bulbi. Sclerotia leviter tantum tincta eſt, conjunctiva autem ipſum veſtiens oculi bulbum multo magis rubet, ob vaſa numeroſa non ſolum ſanguine tincta, verum etiam varicoſa. Sub initio morbi haecce laxitas vaſorum oculi minus apparet, verum magis magisque ſub doloris et ſub morbi incremento augetur. Concludere inde licet laxitatem fibrarum et vaſorum oculi, ſeu ſyſtematis ipſius irritabilis jacturam prae caeteris graviſſimum in ophthalmia arthritica conſtituere malum.

§. 568.

Verum enim vero non ſolum varicoſa vaſa rubedinem ophthalmiae arthriticae indicare ſolent, ſed etiam ipſius rubedinis forma. Vaſa denſiora fiunt in circulo conjunctivae corneae marginem ambiente et circulum ſic in oculo rubicundiorem circa corneam formant. Sed circulus albidus et caeruleus diſtincte ſeparat hancce coronam rubicundam a cornea, ut ita, niſi ulcera adſint corneae, nullum vaſorum in corneae ſuperficiem usque extendatur.

§. 569.

Cauſa hujus phaenomeni in adfectione latere videtur corporis et orbiculi ciliaris per morbum facta, cujus vero rationem nondum definire valemus cum de uſu, ſtructura et conſenſu partium laudatarum certiora proferre vires noſtratium ſuperet medicorum. Sicuti corpus ciliare inter partes oculi ad ſyſtema irritabile pertinentes primum obtinet locum et haec eſt ratio morbi, ut potiſſimum ſyſtema oculi irritabile adficiat — ita etiam hoc prae caeteris in corpore ciliari et in partibus conſenſu quodam cum ipſo conjunctis locum habebit.

§. 570.

Rubedinem in ophthalmia arthritica interdum dolores oculi et faciei anteceſſiſſe adfirmant. Verum pace iſtorum virorum dicam, — ophthalmia ſine dubio rheumatica adfuit rubedinem formans, quae deinde in arthriticam mutata cum doloribus conjuncta fuit arthriticis. Rubedinem igitur minus recte adſpicientes oculi inflammationem ſub initio rheumaticam pro arthritica habuerunt. Rubedo oculi arthritica et ophthalmia arthritica in univerſum ſine doloribus adeſſe nequeunt.

§. 571.

Sub ipſius doloris decurſu aliae apparent internae oculi mutationes, quae ſaepiſſime triſtem hujus inflammationis exitum

portendunt. Etenim aut iris vel ſola vel cum humore vitreo aut ſolus humor vitreus ſub morbi decurſu immutatur.

§. 572.

In aegrotis majore praeditis ſenſibilitate, ubi corpus minus bene nutritum et gracile obſervatur, ſaepius ſub iritidis forma morbus procedit. Iris admodum extenſa pupillam reddit anguſtiorem. Color marginis ejus et interni et externi immutatur, uti in iritide fieri ſolet, et exſudationes lymphaticae marginem interiorem occupantes pupillae formam ex rotundiore in angulatam mutant. Attamen ſemper mediam obtinet bulbi partem pupilla ſic adfecta, nec, ſicuti in ophthalmia venerea obſervamus angulo oculi interno appropinguat. Sub ipſius doloris decurſu et augmento concretiones iſtae magis magisque augentur, donec tandem pupilla penitus vel ex parte ſaltem concreverit.

§. 573.

Humoris vitrei immutatio in iritide arthritica pluribus in aegrotis una accedere ſolet. Sed rarius obſcuratio ipſius ſeu glaucoma oritur, ſaepius ſynchyſis, ſeu humoris vitrei diſſolutio. Cognoſcitur malum propriis quibusdam ſignis, mollitie oculi multo majore immutata bulbi forma et majore marginis in iride interioris mobilitate, quae in diſſoluto oculi vitro quaſi fluctuatur. Peracta ſynchyſi et ſuborta atreſia pupillae magis minusve completa dolores hucusque grandiores deſinunt. Atrophia bulbi non ſemper in oculo tali dolores excipit, praeſertim ſi mutatio humoris vitrei vel plane non, vel admodum parva adeſſe ſolet. Quando autem morbus ſtructuram oculi admodum immutavit, etiam atrophia ſequitur, praeſertim ſi inflammatione recens orta vires oculi exhauſtae ſint. Viſus facultas ex hacce iritide reliqua ſolum ex mutationum pendet ratione ab ipſa productarum. Pupilla penitus concreta ipſam tollit, ut luminis modo ſenſus aegrotis relictus ſit. Synchyſis vero, ſi vel completa fuerit, viſum modo habetat, non tollit.

§. 574.

Multo pejor autem erit exitus in iis aegrotis, in quibus Glaucoma, ſeu humoris vitrei obſcuratio hunce ſequitur morbum. Sub ipſo doloris augmento varices in iride obſervantur ſecundum decurſum vaſorum iridis a margine ejus majore ad minorem ſeſe extendentes. Eodem tempore extenſio varicoſa in choroidea adeſſe videtur, et morbus ipſius choroideae, morbum humoris vitrei organicum ſibi adjungens. Ex incipiente vitri obſcuratione color pupillae non totus niger, ſed caneſcens ſeu pallidior apparet.

§. 575.

Color iſte pupillae cum mali augmento magis magisque accreſcit, donec tandem in viridiorem mutetur, ſeu viride-canum. Hinc quoque nomen habes mali glaucoma. Viſus tali in ſtatu vario modo laeſus reperitur. Etenim vel ex parte ita reſtat, ut aegroti modo objecta majora dignoſcere valeant, modo etiam viſum a latere oſtendant, ut objecta e regione ſita plane non diſtinguant, iſta vero a latere poſita obſervare poſſint. Vel videndi facultas tota abeſt, ut aegrotis vel luminis tantum ſenſus relictus ſit, vel etiam hoc ſint deſtituti. Cauſa hujus viſus depravationis cum glaucomate conjunctae non tam ex mechanica radiorum retentione per vitrum obſcuratum facta, quam potius ex functione retinae laeſa pendere videtur. Si vel retinae functio per ſe a morbi effectibus non ſit oppreſſa, id quod facile conjici poteſt, hoc tamen per vaſa varicoſa fieri ſolet, undique per choroideam et retinam in glaucomate diſperſa, quae mechanico modo nervulorum ramos prementia eosdem viſus facultate deſtituunt.

§. 576.

Sed ſignum reſtat pathognomonicum, cujus ope vel incipiens glaucoma a ſimplici amauroſi dignoſcere vales. Forma nempe

pupillae immutata. Quae non, uti in iritide contracta eſt, verum potius verſus angulos oculi dilatata.

Sub primo morbi initio iritidem leviorem ſemper adeſſe nemo facile inficiabitur. Etiam ſemper colorem iridis ullo in loco aut ullo in margine ſub initio ophthalmiae arthriticae paullulum immutatum reperies. Tunc demum oriuntur varices in iride, quae effectus morbi in oculum internum extenſos eſſe demonſtrant. Varicibus in iride ſubortis et morbo humoris vitrei ſeſe manifeſtante pupilla ſic dilatari incipit, ut margo ejus ſuperior et inferior integer maneat, lateralis vero verſus angulos oculi extendatur, et pupilla oblonga fiat, uti in ruminantibus animalibus ipſam obſervamus. Quod ſignum verum atque ſincerum ſemper glaucomatis prodet praeſentiam.

§. 577.

Cauſa hujus phaenomeni latet admodum obſcura. Probabilem tamen inveniſſe mihi videor aliud ſymptoma adſpiciens, quod interdum ex laeſione nervorum ciliarium per contuſionem aut vulnus oculi obſervamus. Etenim iris illo in loco, quo nervuli laeſio adeſt, verſus corpus ciliare retrahitur, ut ita pupillae margo impar eſſe ſoleat. Illo in loco, quo retrahitur iris, margo ejus interior paullulum reflexus verſus cameram ſpectat oculi interiorem. Laeſio nervi ſive major ſive minor maiorem etiam aut minorem iridis verſus orbiculum ciliarem retractionem efficit, ut adeo in gravioribus quibusdam caſibus illo in loco penitus fere evanuiſſe videatur.

§. 578.

Nonne igitur haec mutatio pupillae univerſalis in glaucomate ex functione totius corporis ciliaris et omnium nervorum ciliarium laeſa pendet. Iris ex laeſione ipſorum partiali in parte adfecta retrahitur. Nonne ſimile quid locum habebit in adfectione nervorum laudatorum univerſali? — Leges mechanices facilius nobis monſtrabunt cauſam, cur circulus membranae, qui univerſam extenſio-

nem ſubire debet, in duobus tantummodo lateribus extendatur, et cur in hoc caſu univerſalis in iride ad extenſionem niſus tantummodo in ambobus pupillae lateribus obſervetur.

§. 579.

Arctiſſime cohaeret lens cryſtallina ejusque capſula cum humore vitreo, et quamvis non ſtructura ipſius eadem ſit, tamen vaſa ipſius ex parte hyaloideae proveniunt, et in capſulae partem penetrant poſteriorem. Hinc vitia mixtionis in corpore vitreo citius tardiusve ad lentem progrediuntur. Synchyſis tandem, ſi exorta fuerit, etiam conſumtionem lentis adducit, ut frequens nobis demonſtrat experientia. Eadem igitur ex glaucomate ſuborto provenire debent.

§. 580.

Morbus inde exoritur cataractae perſimilis, olim ſub cataractae viridis nomine deſcriptus. Lens magis magisque ſuffunditur, ad perfectam usque obſcurationem, et totam viſus, ſi ejus reliquiae adfuerint, abolitionem. Colore jam malum a vera et ſincera cataracta dignoſcere vales. Etenim partim viridis et ſimul albeſcens eſſe, aut ſaloris colorem referre aut plane viridis eſſe videtur. Una volumen lentis ſuffuſae magis magisque augetur, donec tandem per cameram oculi poſteriorem in pupillam ipſam, aut denique per illam in cameram anteriorem emergat. Margine lentis ſic ante pupillae margines poſito iris magis magisque reprimitur, margine ejus interiori ſimul inverſo. Quando malum hac ratione quam maxime eſt auctum, iris vix dignoſcenda erit, cum cataracta omnem cameram expleverit anteriorem. — Hujus cataractae operationem veteres medici jam ſenio vetuerunt.

§. 581.

Niſi auxilio medici hocce tempore dolores opprimantur, eaque ratione morbi progreſſus ſaltem ſiſtatur, dolor magis magisque augetur, et omni lucido intervallo deſtitutus eſt. Morbi ſympto-

mata augentur, varicum numerus magis magisque accrefcit, et atrophia tandem oculi fuboritur, quae dolorum demum furori finem imponit. Sub atrophiae progreffu etiam forma oculi evanefcit, cornea non amplius erit diftinguenda et tandem ex oculo priftino nil relictum eft, corpusculo in fundo orbitae excepto, carnis crudae colorem habente. Dolor periit et palpebrae concavam admittentes fuperficiem orbitae oftium obtegunt.

§. 582.

Uno tandem oculo hac ratione tantum adfecto altero autem adhuc integro hic citius feriusve ophthalmia etiam corripitur arthritica, et nifi in tempore aptum a medico dexteriore auxilium feratur, eodem modo peribit.

§. 583.

Haec igitur de diagnofi ophthalmiae arthriticae erant monenda. Nunc ad aetiologiam ejus transgrediamur. Duplex omnino caufa requiritur ad hujus mali originem. Altera univerfalis, quae arthritidem adfert, altera localis feu fingularis, quae in oculum effectus exferit illumque ad ophthalmiam reddit proclivem.

§. 584.

Ad priorem caufam pertinent omnia, quae arthritidem in homine provocare valent. Quae omnia eo fpectare videntur, ut vim vitalem fyftematis irritabilis in toto corpore, praefertim autem in abdomine deprimant, et fic origini arthritidis primam exhibeant occafionem. Qualia funt: debilitas abdonimis e diaeta inordinata et regulis certis minus adcommodata, nimio veneris ufu, et per confenfum ex quadam cutis adfectione producta, animus anxius et curae plenus, qui prae caeteris abdomini infenfus erit, cita et frequens temperiei mutatio, infignem cuti noxam inferens, habitatio in cubiculis anguftis, liberoque aëris acceffu deftitutis, exhalatione noxia refertis et mucidis propter multorum

hominum frequentiam, parca corporis per cibos minus consuetos nutritio etc. —

§. 585.

Quae omnia eo certius arthritidem veram producent, si homo jam per se ad morbum pronus hinc noxae uberiorem praebuerit morbi occasionem. Etenim diathesin quandam haereditate adquisitam in arthriticis saepe adesse experientia duce luculenter demonstratur. Hinc etiam adparet, cur incitamenta morbi modo laudata morbum in quibusdam nullo modo producere valeant, quibus natura benigna corpus ad hocce malum minus pronum non denegavit.

§. 586.

Sed si vel non arthritis vera ab istis incitamentis producatur, debilitas tamen quaedam totius organismi ab ipsis relinquitur, quam interdum diathesin ad arthritidem adquisitam vocarunt. Num autem re vera talis in iis locum habeat, nondum certius definire valemus. Attamen in hisce praesertim aegrotis ophthalmiae arthriticae origo observatur, eodem decursu incedens et iisdem effectibus praedita, qui in hominibus vere arthriticis tali ophthalmia laborantibus conspiciuntur. Hinc patet utramque ophthalmiam unam eandemque esse, eadem indigere cura, iisdem remediis sanari, si vel sola fibrarum ex vi vitali debilitata laxitas et vitium excretionis inde ortum, non autem singulare morbi contagium causa mali sit habenda.

§. 587.

Altera morbi causa, est illa, quae oculi inflammationem adfert. Inde omnes causae ophthalmiae simplicis, adfectio oculi ex causa rheumatica, nimia visus tempore minus opportuno intentio, et laesio oculi mechanica seu chemica in hominibus ad arthritidem propensis ophthalmiam arthriticam producunt.

Bis vidi ex cataractae depressione per agyrtam et inscium

facta ophthalmiam arthriticam cum glaucomate graviſſimo ſubortam. Homines erant ſeniores, tamen non admodum ad arthritidem proni. Laeſio telae celluloſae in ſyſtemate ciliari aut etiam choroideae per operationem facta in cauſa fuiſſe videtur, ut malum non ſub ſimplicis iritidis forma, ſed potius per partium laudatarum, quae prae caeteris ophthalmiae arthriticae ſedem conſtituunt, decurreret adfectionem.

§. 588.

Praeſertim ophthalmiae arthriticae locum habebunt, ſi cauſae et arthritidis et ophthalmiae uno eodemque tempore in hominem egerint. Hinc Beerius vidit foeminam uno eodemque temporis momento hoc malo correptam, quae in vicinia fornacis ferrei ejusque calidioris laborem foeminis proprium peragens oculum admodum intenderat, et quidem labore per longius temporis ſpatium continuato. Repente autem vehementi frigori expoſita, maxima cum celeritate ophthalmia ſat vehementi, cum ipſius viſus amiſſione incipiente eſt correpta. Beerius paullo poſt ad aegram vocatus, omnia ophthalmiae ejus generis completae ſigna vidit, dolorem ſummum, humorem vitreum obſcuratum, pupillam ad angulos dilatatam, varicesque in oculo.

§. 589.

Quapropter etiam facilius intelligi poterit, cur ophthalmia arthritica praeſertim locum habeat intra pomoeria urbium capitalium, in anguſtis et ſordidis pauperum habitaculis, et cur homines praeſertim adficiat, qui male nutriti, curis atque animi angoribus obnoxii, crebram temperiei mutationem ſubire coguntur. Qui, ſi vel non ſint arthritici aut ad arthritidem propenſi, laxitate tamen fibrarum laborare incipiunt, quae interdum ſola ad ophthalmiae arthriticae ſufficit originem.

§. 590.

Nunc prognoſis mali exponenda erit, quae multo triſtior,

quam in omni alia ophthalmia differentias tamen quasdam admittit, quae uberiorem explicationem merentur. Prognosis multo laetior, si sub ipso mali initio medicus advocatur. Etenim certius tunc auxilium ferri poterit. Prognosis porro magis fausta erit, si malum non sub initio arthriticum evadit, sed si pedetentim tantum ex rheumatica aut catarrhali arthriticam vitiositatem admittit. Inde enim concludendum erit, vim vitalem systematis in oculo irritabilis non tantopere depravatam esse, et morbum non tam rapido gressu incessurum, ut non in tempore aptum ferri auxilium possit.

§. 591.

Prognosis porro laetior erit, si sub initio mali jam doloris arthritici impetus remediis opprimi possunt huc spectantibus. Etenim sub ipsa doloris accessione morbi effectus augentur et progrediuntur, ipsoque sublato desinunt, et ophthalmia saltem ex parte arthriticae signa amittere videtur. Laetior deinde erit prognosis, si varia, quae arthriticam in homine alunt corporis constitutionem, amoveri possunt. Hinc inde omnem fere sanationem respuit malum intra pauperum tabernas gliscens, — meliora autem erunt praedicenda in aegro divite. Denique etiam fausti aliquid sperare licet, si commixtio cum lue francogallica non detegitur. Quae periculosissima est. Quare de ejus decursu et sanatione in fine capitis aliquid erit adjiciendum.

§. 592.

Hactenus de prognosi in secundo morbi stadio. Secundum ophthalmiae arthriticae stadium, si jam increverit, multo minus de visus recuperatione nobis exhibet spei. Etenim vel iritis adest, cum vel sine vitri adfectione, aut per synchysin aut per glaucoma locum habente, — vel glaucoma perfectum formatur. In utroque casu aut visus turbatur aut perit. Spes tali in casu in eo nititur, ut remediis aptis dolores isti morbum comitantes opprimantur. Etenim tunc secretionis abnormis in oculo pro-

greſſus impeditur et glaucoma ſaltem perfectum poterit evitari. Spes porro laetior, ſi corpore vitreo adhuc integro ſola iridis adeſt adfectio. Homo enim oculo in reliquis partibus ſano et retina adhuc integra, — ſi vel atreſia pupillae fuerit ſuborta, per pupillam artificioſam viſum poterit recuperare. Morbus autem humoris vitrei, ſi vere ſubortus fuerit, neutiquam poterit ſanari, et ophthalmiater ejus ſanationem peragere ſtudens, hominum mendacium vulgo adnumeratur.

§. 593.

Quod curam ophthalmiae attinet arthriticae, haecce ex triplici indicatione erit peragenda. Prae caeteris dolor erit ſopiendus, morbi perpetuus iſte comes, ſummumque periculum adducens. Deinde diſcutientibus ſeu potius incitantibus remediis tonus vaſorum augendus, et reactio oculi inflammatoria auferenda. Denique etiam ſecretionis morboſae in oculo augmentum, quantum fieri potuerit, erit impediendum.

§. 594.

Priori indicationi aptiſſime ſatisfieri poterit inunctionibus ex opio puro cum ſaliva aegroti in regione ſuperciliorum factis. Aptiſſime ſcrupulus unus opii cum totidem aut cum dimidia parte croci in decem partes dividitur aequales. Transacto duarum horarum ſpatio aegrotus talem particulum miſceat in vola manu cum ſaliva et deinde aſſidua trituratione linimentum ſic factum inungat.

Una et interne opiatum poterit purum et ſine volatili medicamento mixtum. Nam dolorem adhuc furore vehementi remanentem volatilia augerent.

§. 595.

Altera indicatio in eo nititur, ut diſcutientium et incitantium ope et tonus vaſorum oculi reſtituatur, et ejus reactio ceſſet inflammatoria. Prae caeteris monendum erit, ut cane pejus

et angue medicus omnia remedia vitet fluida, omnesque aquas ophthalmicas, unguenta ophthalmica, et fomentationes madidis remediis factas. Oculus ophthalmia arthritica adfectus nunquam fert liquida remedia. Sub ipforum ufu femper accrefcit malum et multo celeriori decurfu fua ftadia perfolvit. Solo igitur calore ficco et aromatico medicus tali in cafu utatur.

§. 596.

Medicus igitur plantas commendet aromaticas, quae cum farina quadam, et fi fortius fit agendum, cum pauxillo camphorae mifceantur, et deinde in facculis, qui fafcia fuper fronte colligata retinentur, oculo imponantur.

Sed etiam in ipforum ufu cauta manu medicus agat. Dolore oculi admodum vehementi fatius erit, folo linteolo fafciae frontalis ope oculo impofito calorem ficcum ipfi admovere, — et tunc demum, quando dolores oculi jam fint imminuti, aut in lucido ipforum intervallo calorem oculo aromaticum exhibeat.

§. 597.

Tertiae indicationi, nempe oppreffioni fecretionis in oculo morbofae ex parte tantum fatisfacere valebit medicus. Etenim vitium mixtionis in oculo jam fubortum non poterit aufferri, ipfius autem progreffus impediri. Eam ob caufam veficatorium perpetuum ponendum erit in utroque capitis latere ad proceffum maftoideum, — qui locus ob vaforum confenfum peropportunus erit ad fecretionem impediendam, quae jam in oculo incipiebat. Ulcus artificiofum hoc modo formatum per longum temporis fpatium retineatur apertum et tunc demum fanetur, fi non folum oculus ipfe integer fuerit factus, fed etiam arthritica difpofitio ex parte faltem in homine extincta.

§. 598.

Quando tali in cafu indicationes recte funt expletae, morbi initium modo adeft, homo adhuc fatis viget et caufae arthriti-

dem nutrientes amoveri potuerunt, mox dolores arthritici, primum istud mali initium atque signum cum insigni hominis levamine desinent. Rubor vasorum oculi pedetentim evanescet, seu saltem dispositio ipsorum ad varices efformandas prona vasorum tono remediis incitantibus aucto. Obscuratio humoris vitrei incompleta, si jam adfuerit, non amplius augebitur.

§. 599.

Si morbi vis ita fuerit fracta, ad remedia antiarthritica confugiendum erit, quae sub ipso morbi initio et in primo ejus furore, si vehemens febris una adjuncta fuerit, non solum nil auxilii adferrent, sed etiam febri et oculi inflammatione aucta ipsius destructionem et visus per glaucoma amissionem maturarent. Omni febri, omni oculi et faciei dolore cum photophobia sublato ad antiarthritica demum medicus confugiat. Primo exhibendum erit. Resina Guajaci cum volatili quodam medicamento mixta. — V. g. ℞ Resin. Guajaci ℈j, Opii purissimi gr. ij., ss. alb. ℈jv. M. Divid. in viij. part. aequal. Cujus particulam omni bihorio unam capiat aegrotus. — ℞ ꝶ. Guajaci volatil. ʒiij. Aqua menth. piperit. ℥iij., Naphth. vitriol. ʒß, Laudani liquid. Syd. ℈j. M. Capiat aegrotus omni trihorio cochlear majus. —

§. 600.

Una vero cum hisce continuentur remedia in oculum agentia, excepta opii inunctione, quae, nisi dolores adhuc reliqui ipsius usum requirunt, non amplius instituatur. Pergat aeger in usu caloris sicci et aromatici, pergat in derivantium usu. Deinde vero transeat ad remediorum usum arthritidem valide extirpantium, quorum jam supra mentionem injeci, — vitet simul omnia, quae arthritidis reditum maturare possunt, vitet praesertim ophthalmiae recursum per cautum oculi usum, et remediis simul utatur internas oculi partes valide roborantibus, qualia sunt inunctiones spirituosae in regione supra oculi orbitam factae et

continuatus derivantium usus. Quibus omnibus et arthritidis in toto corpore reditus et adfectio oculi per illam evitabuntur.

§. 601.

Nunc ad commixtionem mali transgrediendum erit. Quando ex simplici catarrhali vel rheumatica ophthalmia arthritici mali signa prodire incipiunt, id quod dolores oculi et faciei incipientes vasorum extenuationes subortae et dispositio aegroti corporis conjicere nos jubent, — a remediis statim fluidis et ab aqua ophthalmica abstineat aeger et solis sacculis discutientibus cum opii inunctione utatur. Omnis haec cura nunc ophthalmiae arthriticae esse debet.

§. 602.

Altera commixtio cum morbo syphilitico multo periculosior existit, multisque in casibus aegri destruit visum. Etenim remedia ad luis venereae quam maxime necessaria, i. e. mercurialia, in arthritide summopere nocent. Hinc gravissima est mali cura, praesertim si ophthalmia celeriter progrediatur, et si reliqua adsint signa, infaustam quae prognosin medico suppeditant.

§. 603.

Ophthalmia talis arthritico - syphilitica sub initio, uti plerumque solet, formam ophthalmiae induit rheumaticae seu catarrhalis. Rarius ab initio malum sub vera imagine incedit. Plerumque homines syphiliticos infestat longo mercurii usu debilitatos, eoque magis jam arthritide infectos, homines, qui jam antea oculi inflammationibus, aut adeo ophthalmia gallica laboraverant. In hisce morbus multo majori cum vehementia procedet, brevique oculum per se jam debilem visu privabit.

§. 604.

Quo facilior vero diagnosis ophthalmiae talis complicatae sit, ante omnia respicienda sunt signa pathognomonica utriusque

ophthalmiae et partes ab iis praefertim adfectae. Arthritica haeret praefertim in fyftemate oculi irritabili, cum omnia ejus vafa laxiora fint et vi efficaci deftituta. Venerea autem labes organa obtinet oculi reproductiva, nec laxas monftrat vaforum oculi fibras, fed tantummodo errorem feu vitium in reproductione lymphae plafticae, praefertim in iis oculi partibus, quae utramque oculi cameram cingunt, Ophthalmia igitur venereo-arthritica et vitium in reproductione et actionem vaforum et membranarum vafculofarum amiffam effe demonftrabit.

§. 605.

Exinde pendent figna hujus mali. Mutatus adeft calor marginis interni in iride cum reproductione ibidem abnormi, fub forma exfudationum lymphaticarum locum habens, uti in ophthalmia venerea obfervamus. Sed una adeft circulus ifte albidus et caeruleus, corneam in ophthalmia arthritica a fclerotica feparans, et a circulo ifto vaforum rubicundo cinctus, qui in ophthalmia fyphilitica corneam arcte includit. Cornea non fuam perfpicuitatem integram retinet, uti in ophthalmia arthritica femper obfervatur, fed illa imminuitur, et cornea vitrum viride et impurum, quod fignum ophthalmiae fyphiliticae pathognomonicum efto. Varices una adfunt fuperficiem faltem bulbi aut iridis adeo obtegentes, qui in mere venereo malo nunquam occurrunt. Doloris varia eft natura. Etenim marginem modo fupra orbitam obtinet, ut in ophthalmia fyphilitica, modo etiam fuper tota facie et toto capite ex doloris arthritici ratione diffunditur.

§. 606.

Mutatio interni oculi in tali cafu obvia praefertim memoratu digna videtur. Sub ipfo mali progreffu obfcuratio humoris vitrei cum plena accedit vifus amiffione. Sed una exfudationes adfunt in margine iridis interno, quae ex parte ipfam iridem cum capfula lentis magis minusve jungunt, neutiquam tamen impediunt, quin pupilla, quin in tali cafu nunquam plane concre-

ſcit, veram admittat in glaucomate formam, et paullulum modo ad angulos oculi extendatur.

Vidi in tali caſu omnis viſus amiſſionem ex glaucomate oculum obtinente. Pupilla vero per exſudationes anguloſa extiterat, et ſtriae obſcuratae capſulam lentis anteriorem obtinebant. Malum hocce ex ophthalmia venereo-arthritica fuerat ſubortum.

§. 607.

Cura hujus mali ſat gravis atque ambigua erit. Tamen cum exempla adſint, ut etiam et tali in ſtatu oculi aegrorum conſervarentur, nunquam medicus, quod mali gravioris attinet curam, tarditatis ſit reus.

Prae caeteris ob doloris acceſſionem inunctiones cum opio et pauxillo unguenti neapolitani in regione ſupra oculi orbitam exhibeantur. Sacculi diſcutientes cum camphora oculis admoveantur. Semel in die tepidum ingrediatur lavacrum, ſi reliquus organismi ſtatus tale quiddam permittit. Imminutis ophthalmiae arthriticae ſignis ad ipſam luis venereae curam medicus transgrediatur, quae cum perpetuo reſpectu ad diatheſin arthriticam, ad aegroti vires et ad ſanitatem oculi magis minusve imminutam erit ſuſcipienda.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

De Ophthalmia ſcorbutica.

§. 608.

Inter omnes ophthalmias hucusque deſcriptas ophthalmia arthritica erat illa, quae cum maxima vis vitalis jactura in oculo et cum efficacia vaſorum amiſſa conjuncta eſſe videbatur. Verum nunc ad aliud genus tranſeamus, quod multo magis timendum

et quia fere ſanari non poteſt, infauſtis medicorum phaenomenis adnumerandum erit. Ad ophthalmiam nempe ſcorbuticam.

Symptomata, quae in hocce morbi genere locum habent, ſummam adnuntiant vaſorum oculi paralyſin, quae diuturno tantum remediorum uſu compeſcenda, et in morbo celerrime decurrente fere inſanabilis ad peſſimam prognoſin ſibi colligendam medicis prudentioribus ſemper occaſionem ſuppeditabit,

§. 609.

Duplicem habemus hujus ophthalmiae decurſum. Etenim vel ophthalmia externa vel interna exiſtit. Prioris decurſus haec eſt ratio.

Homines in juventute ſcrophuloſi et in virili aetate noxis expoſiti, quae ſcorbutum vel ſaltem diatheſin ad iſtam proferebant, ophthalmia corripiuntur ex una aliave cauſa ſuborta. Primum ipſius ſtadium, quod ſcorbutici mali ſigna prae ſe fert, tam celeriter praeterit, ut medicus rariſſime illud conſpicere, ideoque minus illud ſanare poſſit. Nunc ophthalmoblennorrhoeae ſymptomata ſuboriuntur. Conjunctiva bulbi et palpebrarum intumeſcere incipit cum colore violaceo et caeruleato, qui quidem ex ſumma vaſorum ejus extenſione oritur, quae omnia in varices mutata ſunt. Dolor omnis abeſt, nec ullus reniſus inflammatorius oculum obtinere videtur.

§. 610.

Mucus ex tumida conjunctiva eodem fere tempore emiſſus omnem fere muci bene cocti et albeſcentis naturam amiſit. Aqueus eſt, quod ejus cohaerentiam attinet, nec admodum tinctus, et tanta copia prorumpit, ut genae hominis omni fere tempore ab ipſo ſint irroratae. Celerrime pus in omni externa oculi ſuperficie generatur, et ulcera peſſimae naturae ſuborta viſus facultatem et oculi formam deſtruunt.

§. 611.

Morbus totius organismi una obſervatur perfectum ſcorbutum

adnuntians. Paralyfis in fyftemate irritabili adeft, petechiae five majores five minores cutem obtegunt, in una praefertim corporis fuperficie, i. e. in pedibus, per fe jam minore vaforum efficacia praeditis, — et gingivae fub leviffimo tactu fanguinem emittunt.

§. 612.

Quando vero malum una fub ophthalmiae internae forma procedit, quae plerumque cum externa eft una conjuncta, talis animadvertitur morbi decurfus. Dolor, fi vel fub initio per breviffimum temporis fpatium adfuerit, paullo poft pedetentim evanefcit. Varicofa funt vafa conjunctivae bulbi et violacei coloris, tota fclerotica caeruleata canefcit, cornea perfpicuitate fua magis magisque deftituitur, adeoque humor aqueus non amplius, ficut antea pellucidus confpicitur, id quod ex fanguinis diffoluti particulis ipfi admixtis pendere videtur. Quapropter de internis oculi particulis fere nil erit diftinguendum. Attamen ad marginem corneae detegi poterunt fasciculi varicum fat numerofi in iridem fefe difpergentes, id quod et internis oculi membranis accidiffe non fine caufa conjicitur.

§. 613.

Vifus facultas tali in ftatu periit. Interdum tamen quendam luminis fenfum per parvum temporis fpatium retinet aeger, ut quafi vitrum rubicundum ipfi obverfari videatur. Praeterea de repentino luminis queritur fulgure ipfius oculo obverfante, id quod ex adfectione pendet retinae per varices corruptae. Sub finem mali fponte fanguis ex oculo effundi folet, corneaque nigrum fere colorem admittit. Atrophia oculi paullo poft morbo omnem medici opem refpuenti finem imponit.

§. 614.

Aetiologia morbi non admodum varia eft. Leviffima caufa oculum adficiens, repentina aëris aut coeli temperiei mutatio,

quae alias catarrhalem corporis et oculi adfectionem, aut blepharophthalmiam glandulofam vel lippitudinem efficeret, morbo tam crudeli originem praebet in homine morbo univerfali penitus adfecto, qui fub fcorbuti nomine inter nos animadvertitur.

§. 615.

Attamen Scorbutus noftrae terrae ab illo, qui nautas longo itinere detentos et incolas orae maritimae infeftat, longe diverfus effe videtur. Qui pofterior omni aëris et vitae mutationi, folis adeo cibis recentioribus, fructibus acidulis variisque herbis, cochleariae praefertim aliisque cedit. Prior autem hisce omnibus rariffime curatur. Caufa ipfius multo profundior latet in corpore, cujus vis in fyftemate irritabili vitalis multo magis depravata eft, quam in fecundi generis fcorbuto. Labor certe utiliffimus et laude digniffimus a medico prudentiore fusciperetur, qui utrumque morbum faepius ad lectulos aegrotantium obfervabat, — fi differentias utriusque generis, quod ejus diagnofin et curam attinet, luculentius atque diftincte proponeret.

§. 616.

Prognofis in ophthalmia fcorbutica femper peffima erit. Nifi medico conceffum fuerit, aegrotis ab hoc malo vel ante ejus initium praecavere, plane nihil de iis fperare licebit. Sine morbi univerfalis fanatione etiam oculus nunquam fanari poterit. Sed uti jam fupra monui, cura ipfius tam diu eft continuanda, ut omnis interea oculus pereat.

§. 617.

In omni igitur fcorbutico homine morbi totius, qui corpus adfecit, cura ante omnia attentionem noftram meretur. Acida prae caeteris utilitatem in ipfa exhibebunt. Hinc Spiritus Vitrioli vel Acidum Halleri in infufo Corticis Peruviani, aut unius alteriusve medicamenti, cortici interdum fubftituti, cui et amarae et adftringentes partes infunt, exhibeatur. Accipiat de illo quo-

tidie saepius parcam in ipso curae initio dosin, quae vero pedetentim augeatur. Cibi ipsius sint facili negotio digerendi, qui tamen stomachum ad novam irritent actionem, ut caro assata vitulina vel vervecina sine adipe, aut etiam gallinacea, cum pauxillo citri succo acidulata. Saepius die singulo illa fruatur, sed parva in dosi. Pro potu exhibeatur ipsi infusum amarum cum acido, cujus jam supra mentionem injeci. Interdum et cochlear unum vini rhenani veteris et generosi effectus medicaminum modo laudatorum maturabit.

Si gingivae haemorrhagia laborent, pro gargarismate ipsi infusum exhibeatur corticis cujusdam valide adstringentis cum alumine, quo saepius interdiu utatur.

§. 618.

Hisce rite peractis et corpore ad aliquam saltem firmitatem feliciter redacto, et si organon unum non reliqua quoad vim vitalem vasorum ipsius antecedit, lavacrum aegrotus frigidum ingrediatur, sed tali modo, ut utilitas inde speranda sit, i. e. nova vis vitalis in toto systemate irritabili incitatio in lavacro frigido facta. Hinc lavacrum ingressus illud statim relinquat commotione universi corporis per frigus facta, cutis madida panno teratur sicco, et aegrotus dein corpus leviter in aëre moveat puriori. Quod lavacrum quolibet die repeti poterit per totum aegroti curandi tempus. Interna medicamenta una continuentur, donec omnis scorbuti, si fieri poterit, maturaverint extinctionem.

§. 619.

Oculi labes tali in statu modo cautione ipsius averti, minime autem curari poterit. Homo omnem fere vitet oculi usum visus vehementi actione factum, vitet luminis sensum per candelas auctum, vitet omnia, quae ophthalmiam rheumaticam seu catarrhalem excitare valent. Vitet propterea etiam nimiam aëris et temperiei mutationem, tanquam crebram hujus mali causam. In hisce sola nititur ophthalmiae scorbuticae cura.

§. 620.

Qua autem ſuborta omnis cura medici irrita erit. Oculus nec aquas ophthalmicas nec ſicca medicamenta, nec incitantia fert omnis generis. Oculus perit, ſi vel omnem operam adhibueris. Calor ſiccus, nec tamen aromaticus unicum erit remedium, quo aegroti labem modo levare, non autem exitum infelicem praevertere valebis.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

De Ophthalmia Carcinomatoſa ſeu de Carcinomate Oculi.

§. 621.

Sub ophthalmiae carcinomatoſae nomine morbum comprehendimus oculi inflammatorium, qui ſtatum excipit, quem oculi ſcirrhum medici vocarunt, et cujus deſcriptio paullo poſt erit exhibenda. Quando in ſcirrhoſo bulbo ſymptomata accedunt phlegmones, quando dolet, et dolor iſte continuus magis magisque augetur, quando ſimul rubor bulbi ſcirrhoſi augetur, vaſaque ipſius varicoſa et lividi coloris apparent, quando ex utroque hoc ſymptomate ſecretio ſimul accedit cancri pathognomonica, quae ulcus exhibet rodens et ſimul ſaniem fundens, ophthalmiae exinde concludimus cancroſae praeſentiam.

§. 622.

Scirrhus bulbi ophthalmia ſuborta magis magisque, quod ejus ambitum attinet, augetur, vaſa varicoſa magis ampliantur, et tanta doloris accedit vehementia, ut bulbus vix mitiſſimum ferat attactum, et aegri penitus fere ſomni beneficio deſtituantur. Media, aut ulla alia tumoris pars ulcus mox oſtendit, quod in

interiora tumoris penetrans saniem fundit cum sanguine mixtam. Etenim vasa varicosa ab ulcere corrosa sanguinem sat larga copia fundunt. Palpebra simul superior rubet tumetque. Ulcus modo descriptum mox tali ratione accrescit, ut totam tumoris superficiem obtegat, et ad ipsas adeo palpebras, et nisi citius vita finiatur ad frontem, genas, et ad orbitae transcendat ossa, donec aeger et malo locali et morbo universali exinde pendente consumtus pereat.

§. 623.

Etenim haemorrhagiae frequentes ex bulbi varicibus tantam continuo sanguinis copiam fundunt, ut, licet spissus sit atque nigrescat, summa tamen virium exinde oriatur debilitas. Dolor continuus nec sub morbi finem amplius narcoticis supprimendus una adest. Homine iis omnibus malis exhausto febris accedit lenta, quae citius seriusve aegrotos interimit.

§. 624.

Hactenus de diagnosi ophthalmiae tam funestae. Quod prognosin attinet, ista semper in omni aegro pessima erit. Ophthalmia carcinomatosa jam suborta nullam omnino sanitatis recuperationem sperare licet. Salus tantummodo in nonnullis aegrotorum speranda erit, in quibus non malum ipsum, sed ipsius tantummodo causa, scirrhus oculi, nonnullis sub conditionibus adest. Quae ut rectius exponantur, ad ipsam mali aetiologiam nos convertamus.

§. 625.

Semper antecedere debet tumor oculi scirrhosus. Exoritur ex ophthalmia praegressa, quae in scrophulosis minus recte sanata tale nutrimenti vitium producit, ut omnes oculi membranae crassiores evadant, ambitu suo augeantur, et morbo tandem continuato concrescant. Quando in ophthalmitide praegressa, uti saepe fit, rupta fuit cornea, et humores oculi per foramen

iſtud effunduntur, tunc iſta in ſcirrhum transmutatio accedere ſolet. Cornea vero integra ſuperſtite omnium etiam oculi membranarum in ſcirrhum tranſitus locum habere ſolet, ſi humores in oculo ſuperſtites fuerint, qui deinde pedetentim reſorbentur, eoque modo oculi in tumorem continuum et duriuſculum transmutationem maturant.

§. 626.

Habes hic exitum ophthalmitidis minus feliciter ſanatae, qui cum nutrimenti totius bulbi vitio adparet. In aliis bulbi ſuccedit atrophia, cum ipſius nutrimenti defectu conjuncta, quae mox oculum deſtructum adſpectui ſubtrahit, — in aliis hydrophthalmia, in aliis denique ſcirrhus. Utrumque poſterius phaenomenon ſibi invicem perſimile deprehenditur, cum utrique ſummum adhaereat in oculo nutrimenti vitium, et hydrophthalmia perſaepe, ſi inepte tractata fuerit, bulbi ipſius in ſcirrhum transmutationem adducat.

§. 627.

Attamen in ſcirrho oculi, quando certiorem efformare volueris prognoſin, ſimul ad mali reſpiciendum erit gradum, num bulbus ſolus ab ipſo correptus ſit, an glandula lacrymalis cum muſculis atque tela celluloſa orbitae una ſit in tumoris ſcirrhoſi ambitum transmutata.

Utrumque facile poterit diſtingui. Bulbo tantum ſcirrhoſo mobilitas ipſius integra reperitur, cum muſculi in orbita libere moveri valeant. Glandula vero jam labe ſimili adfecta bulbus ad interiorem angulum quaſi repreſſus reperitur, mobilitas ipſius jam varia ratione turbata adeſt, et tumorem magis minusve inſignem illa in regione marginis orbitae detegere valemus, ubi glandula adeſt lacrymalis. Tela denique orbitae celluloſa cum muſculis jam in ſcirrhum mutata omnis periit bulbi mobilitas, et perſaepe in uno alterove orbitae loco aut in toto adeo orbi-

tae ambitu tumor ſcirrhoſus tam firmiter oſſibus adhaerens reperitur, ut vel digiti attactu non amplius moveri queat.

§. 628.

Quod igitur prognoſin attinet ſcirrhi in oculo, iſta ex gradu mali et ex ipſius diuturnitate diverſa erit. Quod mali gradum attinet, per operationem paullo poſt deſcribendam, ſucceſſu felici poterit amoveri tumor, ſi ex ſolo tantum bulbo compoſitus integram reliquit et glandulam lacrymalem et orbitam cum tela et muſculis in ipſius ambitu contentis. Contra peſſima quaeque per operationem ſperanda erunt, ubi et glandula lacrymalis et orbita una ſedes mali cernitur. —

§. 629.

Quando glandula quoad ambitum aucta atque indurata adeſt, ex diſpoſitione corporis ſingulari ad ſcirrhum haecce organi pendet immutatio, quae nimis profunde latet, quam ut ab externo incitamento talem indurationem tollente tangi queat. Uti vero regula jubet, omnis ſcirrhoſa glandularum induratio ex cauſa interna pendens, intacta erit relinquenda, cum alias citius in alio induratio organo exoriatur, novumque et multo celerius in carcinoma tendentem morbum adducat. Talem regulam et de glandula lacrymali valere, in exemplo iſto, quod Himly adfert, recentioris etiam aevi experientia comprobavit [1]. Omnis igitur operatio tali in caſu omittenda erit, ne gravius ipſa adducatur malum, et contra aegrotus, niſi mercurii, balnei, et belladonnae cum rheo mixtae uſus opem ferat, fato ſuo tradatur.

§. 630.

Eadem locum habebunt in homine, cui praeter bulbum ſcirrhoſum etiam partes orbitae, muſculi, atque tela celluloſa

[1]) *Ophthalmologiſche Bibliothek*, von *Schmidt* und *Himly*, 3. *B.* 3 *St.* p. 159, ſq.

adeo induratae ſunt, ut ſaepiſſime ipſis orbitae oſſibus adhaerentes conſpiciantur. Eaedem cauſae, quae paragrapho antecedenti exhibitae ſunt, etiam tunc operationis uſum interdicunt. Ipſa praeterea operatio admodum difficilis erit. Licet enim dexterrimus chirurgus bulbum induratum amovere potuerit, licet etiam partes telae induratae forfice ſeparaverit, tamen hoc non ſine periorbitae laeſione locum habebit. Cum vero tam arcta periorbitae deprehendatur cum cerebri meningibus et cum ipſo cerebro cohaerentia, vix ac ne vix quidem phrenitidis graviſſimae ex operatione ſymptomata poterunt evitari. Quando praeterea periorbita cum oſſibus ſubjacentibus per telam induratam ei adhaerentem iſta ratione morbi particeps fuerit facta, non ſolum phrenitis, verum et pejora ſymptomata, quae novi ulceris cancroſi in orbitae fundo aut in ipſo adeo cerebro originem indicant, inevitabilem adducent aegri mortem.

§. 631.

Quodſi autem in ſolo bulbo morbi ſedes reperitur, et glandula cum tela orbitae adhuc eſt integra, vix tamen felix operationis exitus ſperandus erit, quando in aliis corporis organis indurationes perſimiles adſunt ex cauſa interna pendentes, et quando diatheſin in homine adeſſe videmus, quae ejusmodi cauſae internae praeſentiam declarat. Quando praeterea homo ſcirrho oculi adfectus debilis reperitur, pallida cute, ſpasmis, abdominis debilitate, anorexia, etc. laborans, quando ſimul indurationes detegi poſſunt in hepate aut meſenterio, aut tuſſis ſicca atque continua et noctu etiam accedens conjecturae praebent occaſionem, iſtas in pulmonum parenchymate ſimul adeſſe indurationes, omnis operationis ſpes erit abjicienda.

§. 632.

Omnibus igitur iſtis, quae ad prognoſin minus fauſtam medicos invitabant, nondum animadverſis ad operationis periculum transgrediendum erit. Attamen, in hoc etiam caſu prognoſi me-

dicus utatur non plane certa, cum opus ſit grave, cum inſigni dolore atque ſanguinis diſperditione conjunctum, cum organon ipſo amoveatur admodum ſenſibile et cum vicino cerebro arcta conjunctum copulatione, et cum ſemper in hominibus ſuſcipienda ſit operatio, qui corpore inſtructi debiliore reperiuntur. — Praeterea ſub initio mali, ubi ſcirrhi primum habes ſtadium, topicis etiam remediis abſque operatione malum extinguere valebis. Sed infra de hiſce plura dicenda erunt.

§. 633.

Operatio ipſa hac ratione inſtituenda erit. Capite aegri uti in cataractae operatione per adjutorem chirurgum firmato et palpebra ſuperiore unco Richteriano elevata, — qui quidem hocce unico in caſu admittendus erit, cum in omni alia operatione ophthalmiatrica neceſſariam vix ferat opem, — alius adjutor palpebram detrahit inferiorem. Scirrho oculi ſic adſpectui expoſito chirurgus ſcalpello ſimplici aut inter ſuperiorem aut inter inferiorem palpebram et ſcirrhum, ubi hoc optime peragi poterit, inciſionem tali modo peragit, ut in exteriore parte tumor a palpebra ſeparetur. Quo facto uncum duplici hamulo inſtructum atque acutum in anteriorem tumoris ſuperficiem ſic immitit, ut tumorem eo firmare atque in unum alterumve latus distrahere poſſit. Quo peracto per primam inciſionem forficem aduncam a Ludovico (Louis) primo inventam ſic immittit, ut forficis flexura adaequata ſit ſuperficiei bulbi rotundae atque excavatae, — et ipſa bulbum ubique a tela celluloſa adhaerente ſectione repetita amovere tentat.

§. 634.

Attamen cautio duplex in iſta tumoris per forficem ſeparatione adhibenda erit, quando et dolorem majorem vitare et exitum felicem accelerare velis. Primo ne ante nervi optici per forficem diſſectionem bulbum unco distrahas immiſſo. Etenim nervi diſſectio dolorem tam grandem non excitat, qualem ex ipſius ten-

ſione per bulbi diſtractionem oriri videmus. Bulbum tunc demum ad exteriora admodum distrahere licet, quando nervus jam diſſectus eſt, et tunc etiam iſta bulbi diſtractio perutilis erit ad perficiendam ſcirrhi ex orbita amotionem. Exinde jam alia pendet regula; ut forfice immiſſa quam primum nervi tentes diſſectionem, nec longius in vicinae moreris telae diſſectione. Quapropter et filum loco unci per tumorem tractum inutile erit, cum et majores concitet dolores, et bulbi diſtractio non aeque commoda, quam unco in bulbum immiſſo fieri poſſit.

§. 635.

Altera cautio in eo poſita erit, ut quaevis periorbitae laeſio ſollertiſſime vitetur. Etenim, uti jam ſupra monuimus, arcta periorbitae cum meninge copulatio et ex ipſius laeſione facillime phrenitidis pericula parat, et in aegrotis ad haec mala diſpoſitis vulneris retardat ſanationem, aut etiam ulceris maligni reditum valet accelerare. Exinde etiam intelligi poterit, cur cultri incurvati eam ob cauſam de meliori nota commendati ut extirpatio bulbi ipſorum ope peragatur, vix admittendi ſint. Nam eorum uſus facillime periorbitae laeſionem adducit, quae ab incurvatae forficis Ludovicianae obtuſo acumine vix timenda erit. Iſti igitur cultri incurvi quos Illuſtris *Graefe* amicus conjunctiſſimus, non ſine ſucceſſu felici adhibuit, vix in oculi extirpatione opem ferent, ſi vel faber cultellarius tam aptus ſit atque ſollers, et opus arduum ita feliciter peragat, ut cultrum incurvum recta et aequali acie inſtruere poſſit.

§. 636.

Bulbo ſic extirpato primum erit, ut ſanguinis ſedetur profluvium. Quod, licet per ſe non periculoſum fuerit, reliqua tamen ipſius impedit operationis momenta. Itaque ſpongia aquae frigidae plena jam in orbitam vacuam immittatur, et ejus ope ſanguinis retineatur profluvium. Interdum etiam ipſius loco aqua Thedeniana cum ſpriritu vitrioli parata utendum erit. Haemorrha-

gia ſic finita medicus digitum in orbitam immittat, omniaque, quae ex induratione reſidua fuerint, ſedulo detecta amoveat. Prae caeteris glandula lacrymalis, ſi vel ſana et integra fuerit, erit amovenda. Etenim ex ſequenti inflammatione nova et gravior ipſius timenda eſſet induratio. Quibus omnibus rite recteque peractis orbita floccis lintei carpti repleatur, qui ſub initio ſicci et absque unguento inſeruntur, ſuper impoſita iſtis faſcia, quae circa caput alligatur. Aeger tractandus erit, uti omnes illi ex gravi operatione aegrotantes, et vulnus ſimplicis vulneris per ſuppurationem exortam ſanandi curam requirit, donec orbita penitus carne nova et integra fuerit referta. Etſi indicatio ad operationem recte fuerit ſuſcepta, vix timendum erit, ne operatio a morbo denuo ſuborto effectu ſuo deſtituatur, et phrenitidis ſymptomata cum puris collectione ad thalamum nervorum opticorum facta, uti interdum fieri ſolet, aut nova telae celluloſae in orbita induratio citius aegrotum interimant.

§. 637.

Alius nunc curae hac operatione deſcripta mentio injicienda erit, quae bulbum ſcirrhoſum non cultro, ſed atrophia ipſa in tumore ſuborta deſtruit, et ſic vitam aegroti ſervat. Inter Beerii aegrotos tale exemplum vidi, et fato felici ductus etiam in meae experientiae tramite duplicem exophthalmiae caſum ſucceſſu optato obſervavi ornatum.

Peragitur hoc medicamento ſimplici discutiente et ſenſibilitatem imminuente, ſeu, ut melius dicam, aqua ophthalmica ſimplici cum Laudano parata, cui inunctiones cum Laudano puro bis vel ſemel in diem factae adjungantur. Sub repetito hujus remedii uſu, cui interna volatilia cum tonicis mixta erunt adjicienda, tumoris ambitus imminuitur, durities ipſius decreſcit, et mox perfectam obſervabis atrophiam, bulbum pedetentim conſumentem. Atrophia jam ſuborta et ſcirrhoſa bulbi natura feliciter extincta, a remediis abſtinendum erit modo laudatis, cum atro-

phia per se jam rite succedat, nec ipsa vere suborta amplius aliquid periculi sit vitae timendum.

§. 638.

Attamen cum non omnis oculi scirrhus talem oculi admittat per atrophiam sanationem, cum in aliis mali casibus hacce methodo morbi in carcinoma transitum maturaremus, fines erunt describendi, sub quibus ista tantum agendi ratio quadrat. Spes affulget sanationis per istam futurae, morbum quando animadverteris recentem et in ipso initio positum, quando ex inflammatione praegressa, quae ipsius genitrix esse videbatur, statum relictum habes in oculo inflammatorium, qui absque carcinomatis suspicione reactionem cum inflammatione conjunctam adferebat, ad talem bulbi atrophiam plane necessariam. Quando autem scirrhus inveteratus, et absque inflammatione reperitur, non solum hac ratione malum neutiquam sanabis, verum etiam aegrotos transitu tumoris ad carcinoma facto vita citius privabis.

§. 639.

Contra vero haecce methodus sub initio mali recte adhibita in aegris de meliori nota commendanda erit, qui vix alia ratione sanationem sperare possent. Admittenda erit etiam haec sanatio in iis, quorum glandulam lacrymalem et ipsius orbitae telam ex parte vel penitus induratam habes, ubi — sicut experientia docet — nullum de meliori nota commendandum erit operationis conamen, — admittenda porro erit in aegris debilioribus et tali corporis constitutione instructis, ut operationem, si vel oculi status ipsam admitteret, absque vitae periculo ferre non possent. Attamen semper primum adesse debet morbi stadium, et cum inflammationis praegressae reliquiis conjunctum.

§. 640.

Sub finem libri quaedam adjicienda erunt ad mali diagnosin pernecessaria. Scirrhus oculi, in infantibus ex ophthalmitide

minus recte ſanata ortus, ſymptomata ſingularia exhibet, quae licet malum ſub iisdem indicationibus aeque inſanabile reperiatur, a conſueto morbi tramite magnopere abhorrent. Ejusmodi exempla nobis exhibuit Schmidtius [*]. Nimia vis in infantili corpore reproductiva tumoris ſcirrhoſi ambitum mirum quantum auget, ut magnitudinem adipiſcatur in omni alio oculi ſcirrho penitus inſuetam. Cauſtica adplicata ipſius tumoris ambitum non ſolum non deſtruere, verum etiam augere ſolent. Febri hectica aegrotos ſic adfectos corripiente etiam tumor imminui coepit et cum ipſa extinguitur aegroti vita.

§. 641.

Alius nunc mali mentio injicienda erit, quod cum ſcirrho oculi ſaepe et facile commixtum longo laetiorem tamen prognoſin admittere ſolet. Beerius primo illud detexit, et ipſius naturam et ſanationem auditoribus ſuis diſtincte propoſuit. Vocabat illud Exophthalmiam fungoſam. Cum vero bulbus ipſe non prolapſus ſit, ideoque etiam non genuina adſit Exophthalmia, nomine Ophthalmiae externae fungoſae, ſeu potius fungi conjunctivae magis dignum videtur hoc malum.

§. 642.

Oritur morbus ex ophthalmiis externis in hominibus ſcrophuloſis male ſanatis. Cum ſcrophularum morbus, uti jam ſupra adnotavimus ad vitia nutritionis atque reproductionis praeſertim tendat, laxa membrana bulbi externa, i. e. conjunctiva hac ratione adficitur, et excreſcentia ibidem ſuboriri incipit fungoſa, quae naturam fungoſam eo declarare ſolet, ut et citius augeatur, et ſanguinem ex laxioribus ipſius vaſis fundat. Cum malum neglectum fuerit, fungus ſaepiſſime tantopere augeri ſolet, ut per rimam palpebrarum promineat, et lobulis ſic formatis corneae adeo ipſam obtegat ſuperficiem, eoque modo aegrotos viſu

*) *Ophthalmologiſche Bibliothek*, 2 *Band*, 1 *Stück*, p. 58 ſqq.

ſoleat privare. Cum jam tumor eo usque auctus aëris acceſſui expoſitus ſit, ipſius ſuperficies nunc cruſtam adipiſcitur duriusculam, imparem, et ſanguinem ex fungo ſubjacente fundentem, ut ſcirrho oculi carcinomatoſo perſimilis appareat morbus.

§. 643.

Attamen plura ſunt, quae attentum percontatorem ad meliorem adducere poterunt diagnoſin. Primo omnis dolor fere abeſt, qui aegrotos vero oculi ſcirrho eoque carcinomatoſo adfectos mirum in modum excruciat, et ſub morbi finem vix narcoticis cedit. Deinde etiam ſingularis illa debilitas ex parte ſaltem deſideratur, quae alias in carcinomatoſis primo jam ſeſe prodit adſpectu. Denique, ſi tumoris ſuperficiem attente obſervare et cruſta iſta per aquam tepidam amota, — id quod ſemper vehementius parat ſanguinis profluvium, — tumoris lobulos inquirere velis, mox corneam deteges vel integram, vel ſi gravius fuerit malum et ophthalmia vehementior anteceſſerit, panno tectam, et aegrotus lobulis a cornea reclinatis ſtatim viſus facultatem recuperabit.

§. 644.

Interdum vero non ſolum huncce conjunctivae fungum obſervare licet, verum et ipſe oculi ſcirrhus una adeſt. Qualem morbi complicationem cognoſcere licet ex ophthalmitide non ſolum externa, verum et interna praegreſſa, cum reliquis, quae anteceſſerunt phaenomenis, ex majore doloris vehementia, debilitate et habitu aegrotantis, ex perfecta corneae, ſi lobulos fungi levaveris, obſcuratione, omnis luminis ſenſus extinctione et ſcirrhoſo tumoris per corneam attactu. Tunc in fungo oculi eadem quoad indicationem et prognoſin proferenda erunt, quae in vero oculi ſcirrho.

§. 645.

Quando autem fungus ſolus adfuerit, prognoſis eſt bona et

eo melior, quo minus corneae perſpicuitas panno ſuborto fuerit turbata. Indicatio nititur in eo, ut fungoſa conjunctivae excreſcentia cultri et forficis ope amoveatur. Opus, quamvis diuturnum fuerit, et cum inſigni ſanguinis ex fungo diſperditione conjunctum, vix tamen tam arduum erit, ut certis artis regulis adſtringatur. Fungo rite amoto ſuppuratio per aliquot dies aqua ophthalmica cum Laudano nutriatur, donec ipſa rite ſuborta ad adſtringentia liceat tranſire, atque his oculus penitus in integrum fuerit reſtitutus.

Pannus conjunctivae in cornea, ſi una adfuerit, artis lege erit ſanandus. — Caeterum morbus iſte, quem modo deſcripſimus, rarior eſt. Nunquam talem vidi, et ex ſolo Beerii colloquio, qui talem et obſervare et ſanare potuerat aegrum, diagnoſin conſtitui, quae quidem talis erit, ut aegro ante oculos poſito, vix erroris veſtigium accedere poſſit.

ADDITAMENTUM
DE
REMEDIORUM QUORUNDAM OPHTHALMICORUM USU.

I.
De calore ſicco et aromatico.

Status oculi ſolam diſcutientem hujus remedii virtutem poſcens ab omni aqua ophthalmica, ab omni fomento ipſa irrigato pejor exiſteret. Quando una aquam ophthalmicam adhibere coactus es, iſta vel adſtringens, vel ſedativum vel mercuriale in ſe continet medicamentum, quod reliquus ſimul oculi ſtatus praeter calorem ſiccum vel aromaticum poſtulare videbatur. Ubi aroma, ubi calor ſiccus oculo conducunt, qui ambo uni indicationi, ſed gradu tamen diverſo ſatisfacere ſolent, non fluida eidem

inserviunt scopo. Siccitatis usum non madidis fomentis, calorem non frigoris usu alere valemus. Aut sacculi herbis siccis aut aromaticis referti, aut linteum simplex complicatum, atque, si morbus poscit, camphora impraegnatum caloris laudati in oculi vicinia causam efficiunt. — Herbae ad sacculos istos discutientes tali modo comparantur:

Nro. I.

℞. *Flor. Chamomill.*
Farin. secalin. vel fabarum āā ℥ß,
Flor. Sambuci ʒvj.
M.

Nro. II.

℞. *Flor. Chamomill.*
— *Sambuc.* āā ʒvj
Farin. secalin. vel fabarum ℥ß,
Camphor. ras. ʒß.
M.

Nro. III.

℞. *Flor. Chamomill.*
— *Sambuc.* āā ʒvj.
Farin. secalin. v. fabarum ℥ß.
Herb. menth. criop. vel piperit. ʒij.
Camphor. ras. ʒß—j.
M.

Quando adhibenda sunt ista medicamenta, in sacculos ex linteo molli tali magnitudine paratos, ut quartam faciei aegrotantis obtegant partem, — immittuntur. Sacculis oculo impositis ipsorum situs fascia firmetur supra frontem adplicata. Quando interior sacci superficies per mucum aut lacrymas effluentes conspurcata fuerit, externa paries sacculo inverso oculis imponatur, et hacce denuo immunda novus oculo saccus imponatur.

Quando igitur ophthalmiam habueris cum multo muci et

materiei puriformis effluvio junctam isti facculi minus apti erunt, et ipsorum loco linteolum quadruplex aut fimplex aut camphora tritum oculo imponatur.

In facculorum praeterea ufu cautus fit medicus. Nro. I. calorem modo ficcum oculo admovebit, cum pauxillum ipsi infit principii volatilis. Nro. II et III. vero plus minusve aromaticum et difcutiens continet medicamentum. Cum vero in hominibus nonnullis cutis vix ista camphorata ferat, in ipsis tantum Nro. I utendum erit, fi morbum leviorem, nec cum fingulari vaforum atonia junctum habueris. Quo majorem inflammationis genus vaforum monftrat atoniam, eo magis fortiora difcutientia, aromatica et camphorata conducunt. Attamen et tunc methodo paullo cautiore aegrotus Nro. I utatur, et citius feriusve demum ad Nro. II et III tranfcendat, ut incitamentorum augmentum, quod inprimis etiam in oculi neceffarium erit fanatione, et hac locum habeat occafione. Etenim fortiori medicamento jam fub initio exhibito facillime palpebrarum et faciei eryfipelas originem capere poffet.

Lintei complicati ufus talis erit. Vel purum, vel camphorae particulis trituratione facta impraegnatum tali modo oculis imponitur adfectis, ut fascia fit firmatum frontali, eodemque modo oculum tangat, uti linteolum poft cataractae operationem.

2.

De Adftringentibus medicamentis.

Adftringentium ufum capita libelli praegreffi permultis exemplis firmatum de meliori nota commendarunt, ut de ipforum ufu praeter formulas nunc nil adjiciendum nobis videatur. Inter adftringentia *lapis* eminet *divinus*, fingulari tamen ratione comparatur, quando fummam iftam utilitatem inde volumus expectare. Etenim vitriolum caeruleum, quod vulgo ad ipfius compofitionem adhibetur, rariffime ab oculis fertur inflammatis. Compofitio igitur lapidis divini melior a *Beerio* praefcripta talis eft. ℞. Aluminis crudi, Nitri depurati, Aeruginis āā ℥j. Liquefiant

in balneo arenae, ita quidem, ut nitri detonatio sollicita vitetur manu. Sub finem adde Camphorae rasae ℈jß. — Cujus lapidis solutio deinde talis fiat:

Nro. IV.

℞. *Lapid. divini* gr. viij - xvj.
Solve in
▽e *destillat.* ℥ß.
Deinde add.
Aceti lithargyr. gutt. xij - xxiv,
Laudan. liquid. Syd. gutt. xxiv - ℈j
▽e *commun.* ℥iv.

Quod solutionis genus in ophthalmia praesertim catarrhali et in blepharophthalmiis conducit. Minor vero ejus usus in istis erit ophthalmiae generibus ubi ulcera corneae cum muci purulenti profluvio adsunt. Quando igitur in leviori ejus mali genere lapidis solutionem velis adhibere, minorem astringentis remedii copiam, vel plane nullum vel paucissimum acetum lithargyrii et uberiorem Laudani dosin contineat. Sequenti igitur ratione comparata sit:

Nro. V.

℞. *Lapid. divin.* gr. iv - vj.
Solv. in
▽e *destillat.* ℥iv.
Add.
Laudan. liquid. Syd. ℈j - ij.

Nro. VI.

℞. *Lapid. divin.* gr. iv - vj.
Solv. in
▽e *destillat.* ℥ß.
Add.
Acet. lithargyr. gutt. iv.
Laudan. liquid. Syd. ℈j - ij
▽e *commun.* ℥iv.

Interdum autem lapis divinus noxam quandam in palpebrarum cute in ſingulis producit aegris, ex nimia hujus organi ſenſibilitate pendentem. Nititur illud damnum a me interdum obſervatum in puſtularum proruptione in cute facta. Quando tale quid in aegro obſervatur, adſtringentium uſum adhuc poſcente, ſolutionem vitrioli albi ſeu aluminis lapidi ſubſtituas divino.

Nro. VII.

℞. *Vitriol. alb.* gr. vj - xij.
Solv. in
▽e *deſtillat.* ℥iv.
Add.
Laudan. liquid. Syd. ʒß - j.

Nro. VIII.

℞. *Aluminis crudi* gr. viij - xij.
Solv. in
▽e *deſtillat.* ℥iv.
Add.
Laud. liquid. Syd. ʒß - j.

3.

De Sedativis atque de Opio.

Cum oculus organon ſit ſenſibilitate eximia inſtructum, cum omnes fere ipſius morbi cum aucta ſenſibilitate juncti reperiantur, inde etiam ſummus ſedativorum uſus in oculi inflammationibus apparet. Quapropter etiam facili negotio explicandum nobis erit, cur in omni ophthalmia ſedativa, interdum pura interdum cum alio medicamento mixta requirantur.

Opium vero non purum aut in aqua ſolutum ſed in ſolutione per ſpiritum vini facta neceſſarios in oculum edit effectus. Recentiora ſaltem experimenta tale quid probare videntur. Et inter iſta opii ſolutionis genera imprimis Tinctura eminet opii crocata, ſeu Laudanum purum, quod ex opio puro atque croco per ſpiritum vini paratur. Etenim croci effectus iſti opii perſimiles adeoque mitiores in cauſa ſubeſſe videntur.

Nro. IX.

℞. *Laudan. liquid. Syd.* ʒß - j.
▽e *destillat.* ℥jv.
Mucilag. Semin. Cydon. ʒij.
M.

Nro. X.

℞. *Laudan. liqu. Syd.*
Tincturae Croci āā ʒß - j.
▽e *destillat.* ℥jv,
Mucilag. Semin. Cydon. ʒij.
M.

Nro. XI.

℞. *Laudan. liquid. Syd.* ʒß - j.
▽e *destillat.* ℥iv.
Mucilag. Semin. Cydon. ʒij.
Spirit. vin. camphor. gutt. viij - xij.
M.

4.

De Mercurialibus.

Triplex in ophthalmiatria mercurialium genus adhiberi ſolet, Mercurius nempe ſublimatus corroſivus, qui in ſolutione tantum aquoſa conducit, Mercurius praecipitatus ruber atque albus, ex quibus uterque ſub unguenti tantum forma ſolet adplicari. In ſingulis praeterea morbi ſpeciebus, jam ſupra uberrime expoſitis, haecce unguenta mercurialia cum adſtringentibus ſumma cum utilitate conjunguntur. Mercurialia ophthalmica tali fere ratione componuntur.

Nro. XII.

℞. *Mercur. ſublimat. corroſ.* gr. j.
Solv. in ▽e *deſtillat.* ℥vj.
Ex qua ſolutione ſumas ℥iij,
et add.

Mucilag. Semin. Cydon. ʒij.
Laudan. liquid. Syd. ʒß - j.

Nro. XIII.

℞. *Mercur. praecipit. rubr.* gr. viij - xvj,
Butyr. recent. inſulſ. ℥ß.
M. exactiſſim.

Nro. XIV.

℞. *Cerae flavae* ʒj.
Butyr. recent. inſulſ. ʒiij.
Liquef. Add. exactiſſim. miſcendo
Mercur. praecipit. rubr. gr. viij - xvj.

Nro. XV.

℞. *Mercur. praecipit. rubr.* gr. viij.
Aeerugin. gr. vj,
Tutiae ppt*ae*
Bol. alb. āā ℈j.
Butyr. recent. inſulſ. ℥ß.
M. exactiſſim.

Nro. XVI.

℞. *Mercur. praecipit. alb.* gr. xij - xxiv.
Bol. alb.
Tut. ppt*ae* āā ℈j - ℈ij,
Axungiae porcin. mundat. ℥ß.
M. exactiſſim.